
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 1
5

DISCIPLINA MONASTICA EXHORTATIONIBVS DIGESTA

In Regulam primitiuam Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

Per


R. P. F. *IOANNEM A IESV MARIA*,
Carmelitam Discalceatum Calaguritanum.



ROMAE, Apud Iacobum Mascardum. MDCXV.

Superiorum Permissu.





ADMODVM R. P. N.

FR. FERDINANDO A S. MARIA.

Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Sancti Eliæ Præpoſito Generali.

FRATER IOANNES SAL.



RCANAM Congregationis noſtræ ſtructuram, cùm per triennium præeſſem, contemplatus, nonnúlla concepi, quæ per exhortationes in regulæ textum digeſta, omnibus quidem perfectionis Monaſticæ cupidis, ſed Prælatis potiſſimùm, qui per hebdomadas ſingulas, in patrum conſeſſu ex more concionantur, prodeſſe poſſent. Hæc, vti dixi, concepta in Seminario noſtro Quirinali, quò valetudinis gratia ſeceſſi, modicum otij nactus exaraui: tibique, cui prælationis iure debentur, nuncu-

pare constitui. Non flosculos respersi, non ornatum variæ eruditionis adiunxi; sed quod (mea quidem sententia) validissimum Christianarum concionum robur est; rationes efficaces ad themata selecta pertractanda, contexere studui, quibus animos ad nostram Disciplinam retinendam, & perficiendam flecterem. Laborem ergo meum boni consule, ac si perspicaci visu tuo exploratum probes, qua nam ratione in lucem edi possit, pro singulari qua præstas, prudentia decerne. Clementissimus Deus te, ad nauis nostræ clauum, quem tenes, feliciter regendum, quod impensè opto, incolumem seruet, ac inuictis viribus armet.

FR. Ferdinandus à S. Maria, Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ, concedimus, vt liber hic de Disciplina Monastica, à R. P. F. Ioanne compositus, typis mandetur, si placuerit Reuerendissimo D. Vicesgerenti, & Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij. Datum Romæ 26. Septembr. 1614.

Fr. Ferdinandus à S. Maria Præpositus Gen.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fratris Hyacinthi Petronij Romani Sac. Pal. Apoſt. Mag. vidi ac diligenter perlegi librum R. P. Fr. Ioannis à Ieſu Maria Carmelitæ Diſcalceati, cui titulus eſt de Diſciplina Monaſtica, & nihil inueni quod Catholicæ Fidei, vel bonis moribus aduerſetur, immo etiam cenſeo huiuſmodi opus ad communem religioſorum vtilitatem, typis omnino dignum, in quorum fidem his manu propria ſubſcripſi. Datum Romæ die 6. Nouembris 1614.

Fr. Vincentius Candidus Sac. Theol. Magiſter & Conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam Almæ Vrbis Prior.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Donatus Romanus Lector, & Reuerendiſſimi P. Fr. Hyacinthi Petronij Romani Sac. Palat. Apoſt. Magiſtri Socius.

INDEX

PARS PRIMA

DE PROLEGOMENIS.



PARS

PARS SECVNDA.

De Disciplina monastica erga textum regulæ.

LECTORI.



ELECTA Diſciplinæ Monaſticæ capita, quæ Monachis exemptum à mundi ſeruitute vitæ genus ducentibus, cordi eſſe debent, per exhortationes multiplices, vario themate è textu regulæ noſtræ petito, digeſſi. Methodus hæc eſt, vt habito thematis delectu, verbis aliquot exordij loco præmiſſis, mox rationes, quoad fieri poteſt, efficaces, quibus intellectus illuſtretur, & voluntas impellatur, ad propoſitum hortandum, dehortandumve ſubtexam. Denique inſto, vt tradita doctrina ad praxim deriuetur, ac in hunc modum ſingulas exhortationes abſoluo. Ego concionum membra compegi: ijs autem, qui labore hoc vti volent, non erit difficile, aliqua Scripturæ ſacræ effata, ſanctorum ſententias, ſimilitudinem, aut exemplum aliquod intertexere, ſi orationem exornare, &

au-

amplificare placuerit, quod aduersa mea valetudo non tulit. Precor Clementissimum Deum, afflet spiritu suo lectores omnes, sed Prælatos præsertim conciones habituros. Si enim spiritus flauerit, doctrina solida neruosis rationibus fulta subnixi pectora (credo equidem) dura mulcebunt.



IN-

Ex-



Ob-

Ex-

PARS PRIMA.

DE PROLEGOMENIS.

Præmonitio. Cap. I.



RAELATVS, qui in cœtu monachorum, è regulæ textu in partes digesto, vt mos est, doctrinam moralem elicere constituit, rectè aget, si prolegomena nonnulla præmittat, quibus animos ad tantæ rei æstimationem excitet. Duo verò imprimis capita duabus exhortationibus expendet iuxta exempla subiecta, quæ non ad quippiam præscribendum, sed ad indicandum rerum pondus, & ad extimulanda ingenia Prælatorum, vt meliora ipsi excogitent, proponere, ac persequi decebit.

Exhortatio ad regulæ æstimationem, & custodiam. Cap. II.

COgitanti mihi de dignitate regulæ, in cuius textum aliquid promere constitui, subit imago quædam Christi stateram dextra tenentis, operaq. nostra, iuxta syncerum regulæ, quam profitemur, sensum trutinantis, quę quidem imago regulæ ipsius, vt rei planè grandis æstimationem ingenerat. Re ergò altè perpensa, multæ succurrunt rationes, quæ ad regulam plurimi faciendam, animoq. altè imprimendam satis appositæ,

& veris monachis omninò ſuggerendæ videntur.

Ratio prima. Ipſum nimis vulgatum, vix tamèn, vt par eſſet, expenſum regulæ nomen rei ſignificatæ dignitatem aperte prodit. Si enim norma architecti, qua regiæ aulæ partes diriguntur, tanti fit, vt quicquid contra, vel prȩter illam extruitur, eo ipſo tanquam ineptum, ac deforme à bonis cenſoribus improbetur, totusq. fabricæ decor in ipſam referatur; quid de regula morum, extra quam quicquid eius profeſſores attentent, obliquum eſt, & cui Domus Dei decor aſcribitur, ſentiamus? Res profectò excelſa, & pulchra eſt, quæ viuos lapides in Dei templum conſentientes, proportione mira coaptat, & honeſtat.

Ratio ſecunda. Status proprij æſtimatio, nemini niſi deliro fortaſſe alicui, poteſt non cordi eſſe. Porrò ſtatus cuiq. ſuus, non temerè ſed iuſta præmeditatione tādem electus, bonum quoddam honeſtum videatur oportet, non enim pictor, aut ſcalptor ſeligit id vitæ genus, quod ei dedecori vertatur, imò id præſertim arripit, quod honorificum, & lucri ferax exiſtimat. Cum ergo monachus diſcalceatus, conſultatione præuia, genus vitæ quoddam, regulæ à ſublimitate, & exacta perfectione commendatæ addictū optauerit, neceſſe eſt, vt permagni faciat, quod ei coram Deo Angelis, & hominibus dignitatem tantam, honoremq. conciliat. Sanè ipſe regulæ primitiuæ titulus tam ſpecioſus, & virorum ſapientum præconijs exornatus eſt, vt rebus quoque humano more perpenſis, cordatus quisq. monachus eum vniuerſis mūdi honoribus anteferre debeat. Quo

qui-

quidèm ex capite, quodammodo cogitur, ne vllo actu parum decoro, qui sapientibus viris displiceat, se tanta regulæ degenerẽ professorem exhibeat. Verùm grauiora meditemur.

Ratio tertia. Quot sententiæ in regula proferuntur, tot sunt prudentissima consilia, ad vitam apostolico more instituendam, quod per se quidem notum, & communi sermone celebratum est. Si ergo ad insistendum vestigijs apostolicis, mundo nos renunciasse fatemur; quomodo regulam nostram, velut apostolicam doctrinam, ac proindè vt rem pretiosissimam nõ æstimemus? Profectò, quam despicabilia sunt mundi consilia, quibus vita humana vitiatur, tàm sunt pretiosa illa, quibus expurgatur, & cælesti puritate perficitur. Norunt hoc veri mundi contemptores, qui disciplinæ monasticæ laude olim claruerunt, quos pauci aliquot, ætate nostra, in regulę custodia ęquare conati sunt.

Ratio quarta. Altiùs caput efferamus, obseruemusq. singulas regulę præscriptiones totidem Diuinę ipsius Maiestatis oracula esse, vt ex origine spectetur regulæ dignitas, & maiestás. Mihi certè perspectũ est. vos de re hac interrogatos cõsensione multa responsuros, capita regulę, effata esse Dei per regulæ ipsius conditorẽ, & Summum Pontificem confirmatorem loquentis, humanæq. sapientiæ longè procùldubio antecellere, & qui alitèr censeret, inter instituti sui desertores reponi debere. Si ergo regulę capita oracula cælestia sunt, quomodò cum modica eorum æstimatione professio nostra cohæreat? aut quomodò non

plurimus honor à Carmelita Discalceato ei deferatur?

Ratio quinta. Rationes allatæ quantumuis neruosæ lentum forte aliquem parum vrgebunt, quod virtutis honestatem, ac Dei ipsius magnitudinem tenuiter agnoscat. Optandum certè, vt in præsenti cœtu nemo eiusmodi cæcitate laboret. At siquis adsit, consideret saltem, quod sub alia metaphora initio indicauimus, regulã hanc lineam quandam esse, qua Christus æquissimus iudex, & internorum affectuum cognitor mensurus est vitam, quã ducimus regulæ ipsi à nobis sponte alligatam. Meditetur quàm debeat æstimari linea hæc, ad quam, si cœnobitica disciplina exigatur, in vniuersi mundi theatro monachus à Christo ipso laudandus, & inter inuictos milites recensendus, vel à contrario, æterno anathemate, à consortio sanctorum arcendus est.

Hactenus produximus rationes, quibus intellectus ad regulæ æstimationem instruitur, & voluntas incipit emolliri. Nunc voluntas ad praxim acriùs vrgenda est, iuxta prudentem bonorum concionatorum vsum, qui in postrema concionum parte, affectum potissimùm excitare, ac inflammare nituntur: qua certè methodo in alijs omnibus exhortationibus vtemur.

Obseruatio.

Audistis, Patres, contextum rationum, quibus euincitur, regulam nostram, non rem aliquam vulgarem, sed egregiam, eximiam, ac planè cælestem esse, eiq. venerationem plurimam deberi. Quid ergo vobis modò videretur, si è medio consessu hoc, aliquis disciplinæ regularis impatiens

exur-

exurgeret, diceretq. non vſque adeò extolli debere regulæ dignitatem, nolleq. ſe illam tam religioſe colere. Conſpiraretis, credo equidem, in ſententiam hanc, monachum ſcilicet eiuſmodi, ſocietate veſtra omninò indignum eſſe, neque iudicio ſanè pollere. Qui enim rem honeſtiſsimam diuino ſplendore lucentem minimè, aut tepidè amandam, & laudandam exiſtimat, in dementiam aliquam incidiſſe videtur.

Nunc ergo vos introſpicite ipſos, & exploret conſcientiam vnuſquisq. ſuam, an regulam noſtram, quam cordis centro deberet inſculpere, tanti pendat, ac decet. An eam ſæpe, & cunctantèr relegat. An ſelectæ illæ ſententiæ breuitate multa perſtrictæ videantur ei oracula cæleſtia. An verba ſyncerè interpretetur, timeatq. ad extraneos ſenſus detorquere. An pro cuiusq. capitis obſeruatione vellet, ſi oporteret, occumbere. Si enim hiſce caret argumentis, iniquus æſtimator eſt: nec ſanè conſcientia propria ei zelum ſuggeret adeò feruidum, vt delirum monachũ illum, qui in medio cœtu hoc, regulam (vti poſuimus) vilipenderet, ſine remorſu vehementèr carpere, vel damnare queat. Si enim ſe nõ corripit ipſum, quarè illum redarguit? Reſpondebit fortaſsè, non eſſe parem vtriusq. culpam, ſeque non eſſe adeò impudentem, vt regulam non magni faciendam clamitet. Verùm quid ſi non clamitet ipſe, quandoquidèm ipſius opera vociferantur? Confitetur quidem ſe noſſe Deũ, cui regulæ obſeruationem promiſit, factis autem negat, dũ lenteſcit, & à ſenſu ſacrarũ præſcriptionum longè recedit.

 Cete-

Ceterùm bene est, quòd è præsentibus nemo reperitur, qui regulam aspernari, vel lentè obseruare velit, quod Diuinæ bonitati, planè tribuendum est, quæ in vos pluuiam bonorum affectuum effundit. At quò effusio vberior est, eò timendum magis, ne quis non ità feliciter progrediatur, vt parem diuino semini fructũ referat. Quamobrem hortor vos, Patres, vt quod ad conscientiam spectat, regulæ nostræ textum ità legatis, vt animò totus integer ac incorruptus hęreat, ità interpretemini, vt germanum sensum sine vlla detortione tueamini, ità recolatis, vt memoria nunquàm excidat.

Quod verò ad alios exemplo instruendos attinet, ità veneremini, ità obseruetis, vt alij qui vobiscum commorantur, facilè animaduertant, regulam nostram vobis librum esse vitæ, quem indignè tractare, quoddam sacrilegij genus videatur. Hoc si præstetis, testis quisq. minimè stupidus facilè iudicabit, regulam à vobis, vti decet, æstimari, quo ipse stimulo ad piam æmulationem excitabitur.

Hic verò non credendum, rem hanc, quam exigo, nimis arduam vobis, qui æternæ vitæ studio incensi estis, vllo pacto videri. Cur enim ardua videatur? Si Athenienses Solonis, & Lacedęmonij Lycurgi leges tàm cupidè amplexi sunt, tam inuiolatę obseruarunt, sola rei honestate, naturali lumine ostensa conuicti; quid vos in hoc genere præstare fas sit, qui leges nostras regulæ testu latas, non vt ethnici alicuis legislatoris inuenta, sed vt diuinæ Sapientiæ oracula intuemini?

An

An Athenienſibus, vel Lacedęmonijs profuit illa tam exacta ſuarum legum æſtimatio ad cæleſte regnum perquirendum? Potuit ne labor ille cuſtodię legum impenſus auctores ſuos ab interitu præſeruare? Minimè quidem? Si ergo leges illæ ſteriles tantoperè æſtimatæ, & obſeruatæ ſunt, quanto ſit æquius, vt leges noſtræ, quibus ad æternam felicitatē via ſternitur, à vobis magni fiant, & fidiſsimà cuſtodia vigeant? Profectò monachi nomen indignè vſurpat, qui vbi de regulæ apicibus agitur, illorum quemq. non tenaciſsimè retinet, & velut ſacri cuiuſdam textus notam, ſeu litteram vnam expūgere, locoūe mouerè formidat.

Hæc fuit maiorum noſtrorum laus, quos non tàm litteratura, ſacrarum concionum fama, principumuè gratia, quàm fida legum obſeruatio fecit inſignes: quibus ab ipſo monaſticæ diſciplinæ tyrocinio penitùs impreſſum fuit, vt legum noſtrarum æſtimationem, atque cuſtodiam vt amplum patrimonium acciperent, & ad poſteros, perruptis omnium mundi aduerſitatum repagulis, non integrum modo, ſed cumulatum quoque tranſmitterent. Hi fuerè parentes noſtri, quos qui non ſtrenuè imitatur, genus negat, fidem monaſticam abiurat.

Immortales Deo gratias ago, quòd hæredes legitimi tanti patrimonij nonnullos habemus leonibus fortiores. Quos ego vbi tacitus commemoro, tanti facio, vt eos Congregationis noſtræ firmamenta vocem. Cur autem non vocem? Cur non prædicem? Debentur ſanè illis celiberrima præconia, multaq. iure optimo rependitur grati-

tudo. Quid non debuit Hebræorũ Populus Eleazaro viro inuictissimo,idoneoq.legum sanctarum æstimatori? Datur ei optio, vt simulet se Antiocho esum porcinæ carnis lege vetitæ imperanti obedire allatis carnibus alijs, quibus ei iuxta leges patrias vesci licebat. Contemplamini virùm ætate prouectum,vultu decorum, & sapientia diuitem.Ei defertur electio,vt legis trasgressionem fingat, & viuat honoribus auctus, vel, si id nolit, intereat. Quid respondet constans legum æstimator,& custos? Respondet citò,præmitti se malle in infernum, & à carnificibus arreptus honesta morte perfungitur. Hæc legum æstimatio est. Huic planè fortissimo viro similes appello selectos illos, qui Congregationem nostram regulæ æstimatione condecorant. Vnus profectò ex hoc lectissimo numero multis cõcionatoribus, librorum scriptoribus, & id genus alijs æquo iudicio antefertur. Illi quippè grandia effantur, ac scriptitant, hic verò grandia patrat, quæ scriptione, & pro concione laudari possint. Discrimen verborum, & operum expendite, & rectum ferte iudicium; omnia lustrate: iudicium expecto. Quid iudicatis? At quorsum vobis iudicium defero, quod Christo supremo iudici à Patre delatum est? Non ego vos presse nunc iudices, sed velut testes accerso,testiumq; iudicium exposco. Testificamini, quod à Christo probatum, & in supremo iudicio laudandum, remunerandumq. censetis. Intuemini bonos regulæ estimatores ijs oculis, quibus Christus eos intuetur. Intuemini ac æmulamini. Date animas vestras pro

testa-

testamento patrum nostrorum, & B. Virginis, Fundatricisq. nostræ Teresiæ disciplinæ: quam instaurata primitiuæ regulæ obseruatione condidit, tota animi contentione, spe cumulatæ mercedis erecti congruite.

Exhortatio ad regulæ scopum dignoscendum, & petendum. Cap. III.

PRudens quisq. cuiusuis disciplinæ professor instituti proprij finem prænosse curat, vt laborem in scopum certum dirigere, & quæ fini dissentanea sunt, reijcere valeat. Qua quidem in re, quæ pondus habet immensum, dolendum est, Patres, quam grauiter tũ ab alijs, tùm à plerisq. monasticæ disciplinæ professoribus erretur. Multi quippè, qui curiosa sectantur, nihil nõ cognoscere satagunt, astrologiæ, architecturæ, artis poeticæ libros euoluunt, vt variã ad conciones, vel priuata colloquia syluam conferant; qui tamen de instituto proprio, fineq. ad quem se tendere profitentur, rogati vix quicquam exploratum se habere demonstrant, quod planè mirũ est. Quid enim admiratione, & reprehensione dignius, quàm viatorẽ, qui iam iter inchoauit, nescire quò tendat? Profectò ignoratio hæc tam est rudis, & hominis ingenio dissona, vt cum ratione naturali, & vniuersorum philosophorum moralium sententia pugnet. Ii enim summa consensione tradiderunt, finem esse actuum moralium principium, hoc est, omnem actum deliberatum finis alicuius gratia ità produci, vt primum, quod ab homine concipitur,

pitur, finis ipse sit, in quem omne studiũ,laborq. omnis apposité fertur. Quæ quidem doctrina, quamuis à nemine traderetur,tam est per se perspicua, vt in dubium reuocari nequeat. Nullus enim nauta, agricola, mercator,nauigationẽ,sationem, mercimonium attentat, nisi priùs finem aliquem honoris, lucri, aut voluptatis sibi præfigat. Cùm ergo regulæ nostræ labor in finem seu scopum certum dirigatur, non absque culpa, & stupiditate à vobis ignorari, aut parùm oculaté considerari posset. Exploremus igitur finem hunc, vt in eum studia nostra collimemus.

Statuo, vos ex maiorum nostrorum doctrina, & varia lectione nosse, instituti nostri finẽ duplicem esse,alterum potiorem,qui est contemplatio, alterum minus principalem,qui est actio, ità vt vita quã ducimus ex duplici parte mixta,& contexta sit,inæquali tamen pondere,cùm in contemplationem diutiùs,& soliciti ùs quàm in actionem incumbat. Hoc ergo statuo, cùm in ipso constitutionum prologo satis expressum sit,& tàm sępè legatur, Neque fert animus de fine minus principali verba facere, & an ordini nostro coæuus, vel posteriùs annexus fuerit, hoc loco differere. Impendam ergo tempus hoc modicũ potiori fini pensitando,eiusq.dignitatẽ demostrare conabor.

Et primùm sané, quòd contemplatio finis nobis potior sit, ex toto regulæ contextu palàm deducitur, cùm ibi quicquid feré præcipitur, ad recessum,orationem, silentium, solitudinemq. pertineat: quæ quidèm capita, aperta vitæ contemplatiuæ signa sunt,quæ viris,qui seculi iugum excus-

cusserunt,& in solius Dei amplexus aspirant, mirificè congruunt. Quod certè argumentum è regulæ textu spontè natum, cùm ad principalis scopi, seu finis nostri demonstrationem,& confirmationem validissimum sit, argumenta alia conglobare , & rei luculentæ lumen afferre superuacaneum existimo . Nostis quid contemplatio sit , actus videlicet intellectus in æterna spectacula intenti, & admiratione suspensi. Huc ergo aspirãdum vobis est, per fidissimã regulæ custodiam, vt licèt in terris mortali corpore prægrauati moremini, spiritus, velùt pẽnis euectus, in cœlis versetur, & subtili æternorum bonorum contemplatione , ac pura voluptate inde orta delectetur , quod subiectis rationibus breui suadebo.

Ratio prima . Contemplationis studium adeò per se honorificum est, vt quamuis nullo quis vinculo astringeretur, deberet sponte illud arripere, eique impensè vacare . Quid enim honorificentius, quàm Diuinæ Maiestati assistere, cũ rerum omnium conditore verba facere, summo, ac sempiterno bono arctè adhærere ? Porrò inter homines nihil solet à mundi sectatoribus auidiùs expeti,quàm principũ obsequijs proximè destinari, coram eis detecto capite versari , ab eorum conspectu nunquàm recedere, vt satis ex moribus palatinis,& ambitione palàm grassante perspicitur. Quod si hæc tanquam nimis humana segnitèr moueant, attollite mentis oculos in Dei ciuitatem , in supernam Ierusalem , cuius dispositione hierarchica, & pulcherrima partium concinnitate lætemini. Ascendite ab infimo primæ ad summum ter

tiæ hierarchiæ angelicæ ordinem, ibique spiritus seraphicos, in quodam velut Angelorum vertice consistẽtes, & Diuinæ Maiestati proximè assisten tes animo concipite. Inferiores certè spiritus mundi administrationi, hominumq. custodiæ destinantur: at Seraphim tanquàm nobilissimi prin cipes in aula regis æterni quiescunt, & sublimissimæ contẽplationi diuinitatis intenti ad functiones alias obeundas minime recedunt. Hæc dignitas seraphica est, cui statum planè similem sortiti estis, dum toto regulæ tenore ad contemplationis scopum petendum destinamini. Huc fertur recessus, silentiũ, Dei præsentia, & exercitia nostra à seculi strepitu exempta, quæ profectò cælestibus exercitijs, & nobilitate, & suauitate similia sunt. Quis ergo potioris partis nostræ dignitatem non expetat?

Ratio secunda, quæ potioris partis nostræ dignitatem cum vtilitate connectit, vt ex eo etiam capite optanda, & exercenda sit. Nimirum re-
2. 2. q bus theologicè perpensis, vtiliora sunt exercitia
181. ar. contemplatiuæ partis, quàm actiuæ, auctioris
2. videlicet meriti, cùm in ijs amor diuinus, qui me riti mensura est, feliciùs crescat, & vires acquirat. Si ergò lucrum illud, cuius vel minima pars vniuersis mundi opibus antefertur, vobis placet; si æternis diuitijs affluere cupitis; conatus omnes in scopum vestri instituti constantèr intendite, & verba illa euangelica, Negotiamini dùm venio, mercaturæ vestræ prudenti sensu adaptate.

Ratio tertia. Si non vtilitatem tantùm, sed voluptatem captatis, quid tam in hac vita voluptuo-

ptuosum, quàm contemplationis studium castæ lætitiæ feracissimum? An ignoratis vel vnum horæ quadrantem, vbi lætitia illa percipitur, omnibus seculi voluptatibus per annos multos affluēter succedentibus esse optabiliorem? Nolo testes alios accersere, quàm vos ipsos, si tamen gustastis, quàm suauis sit Dominus. Non differo nunc de torrente voluptatis, quo potantur, qui ad vitæ fontem limpidissimū post vitæ huius agones peruenerunt, qui satiantur vbertate Domus Dei: quis enim possit Oceanum illum mente concipere, nisi qui iam sese pelago immersit ipsi? Loquor ergo de rore solo, vel de stillicidijs, quæ arentes viatorum linguas humectant. Ij, siqua fides pijs, & veracibus habenda est, facilè asseuerant, guttam vnam mundi fluminibus pretiosiorem esse, seq. donèc gustarunt, nesciisse, in hoc exilio, tam subtilem, puram, penitissimèq. illabentem suauitatem à mortalibus vnquàm delibari. Quid ergo quæritis? Cui sortem inuidetis? An sors vestra felix non videatur? At excipiet tepidus aliquis, contemplationis voluptatem esse profectò diuinam, verum paucis contingere? Sed exceptio infirma est: licèt enim intima quædam, & purissima gaudia, quæ viris prouectissimis familiaria sunt, alijs minùs prouectis non ità permittantur, certum autèm est, voluptatem illam, quæ tyronibus, contemplationis studio deditis instillatur, ipsorum testimonio, eam esse, cum qua nihil in hac mortalitate quantumuis delectabile conferri possit. Compertum item est, tyronum voluptatem satis esse crebram, ita vt veterani diuinam

nam in hoc genere liberalitatem demirentur. Quid, quòd licèt bonum tantum semel duntaxat in hac vita laborantibus impenderetur, deberet adhuc, ob nobilitatem, & spem, quam ingenerat, regum delicijs discrimine lato præferri?

Ratio quarta, quæ validissima videtur. Fingamus, vos nondum instituti nostri disciplinę collum subdidisse, & hac ipsa hora, qua loquor, consultare de statu deligendo, optareq. vehementer, vt sors felicissima obtingat. Rogo nùnc vos; adeste animis, & rem penitus capite. An felix vobis non videatur sors, quæ ipsi æternę felicitati velut contigua est? Profectò felix omnino videbitur. Quæro nunc, suprema, & sempiterna felicitas, quanam in re consistat? Respondebitur in aperta Dei visione, ac fruitione consistere. Rectè quidem, ac theologicè responsum est. Vlteriùs tamen sciscitor, an sit in hoc exilio status aliquis, qui ad eam vltimam, perfectamq. beatitudinem propè accedat, & modo tandem aliquo initium, siue inchoatio felicitatis appellari queat. Respondebitur proculdubio, si quid in hac mortali vita eo nomine insigniri debeat, esse illud bonum, quod inter omnia felicitati vltimæ simillimũ est, ac proindè ad eam propiùs, quàm bona alia, demùm accedit; quemadmódum si vltima hominis beatitudo in summo pontificatu locata esset, quædam eius inchoatio, & quasi penultima felicitas ad statum Cardinalium referretur. Cum ergo vltima beatitudo nostra in Dei visione, fruitioneq. ponatur; & aliundè constet, vitam contemplationi addictam, ex nobilissima

Dei notitia, & inde enata voluptate componi; quis adeò cæcus, & proteruus sit, qui potiorem instituti nostri partem contemplationi consecratam in loco sanè dignissimo non constituat, quoddamq. summæ felicitatis initium, siue inchoationem non appellet, eiusq. studio se cupidissimè dedat?

Non dubium, Patres, quin ex allatis rationibus, iudicetis, quàm graui pondere beneficij diuinitus accepti onerati sitis, ex quo Deus quasi suæ patritios ciuitatis ad nobilissimas contemplatiuæ vitæ functiones vos gratis euocauit, innumeris alijs, velut ad plebeia ministeria rejectis. Non dubium, quin rei honestas fructus, & suauitas animos vestros verarum virtutũ cupidos inflamment. Quid ergo cogitatis? Quid mente reuoluitis? Expendite modò, quàm libentèr, ac expedite baiuli, siue onerum gestatores, qui panem improbo, ac nimiùm duro labore lucrantur, onera excuterent, si à principe aliquo vocarentur repentè, vt ante ipsius cubiculum ingenuam conditionem nacti, inter primores versarentur. Vix illi lætitiæ vim ferre possent, vix crederent, quæ experirentur. Quomodò ergo credi posśit, in præsenti consessu inueniri aliquem, qui principalem vitæ nostræ scopum non accurate petat. Quomòdo verosimile censeatur, malle aliquem plebeiam, quàm ingenuam sortem optare? Quomòdo credatur Carmelitam Discalceatum propositi sui obliuisci, & ordine præpostero actiuam vitam contemplatiuæ præponere, vel æquare? Porrò minimè id credendum, cùm indecorum, ac planè

planè absurdum sit. Recolite, precor, B. Tereſiæ Fundatricis noſtrę ſtudium in hoc genere mirum, & ad vrgendos quoq. deſides efficaciſsimum. Latuit illa, quoad potuit contemplationi dedita; verùm vbi ad immenſam Dei gloriam è clauſtro exire oportuit, adeò exactè contemplationis ſtudium retinuit, vt (quod raro legatur) in medijs itineribus, vbi ſtatæ orationis horæ accedebant, ſilentium imperaret, aut etiàm à ſecularibus rei tantæ ignaris pretio impetraret, vt in curribus ipſis, cum ſacris Virginibus, quæ ſimul vehebantur, præſtituto tempore orationi vacaret, non ſecus ac ſi in monaſterio deliteſceret. Quid vobis de exemplo tanto videtur? Num eiuſmodi mos retineri potuit, ſtrepitu ſecularium intercepto? Num animus moris tenax eſſe potuit, niſi principalis inſtituti finis altè impreſſus ex ante actâ pręmeditatione, ac digna ęſtimatione fuiſſet? Minimè quidem. Quid ergo diceretis, ſiquis degener B. Tereſiæ filius in oratorio percommodo, & contemplationi ſacrato præſtare detrectaret, quod illa in curribus conductis, & incommodis tot victis difficultatibus præſtitit? Hiccine ſit monachus, hoc eſt, monadi intentus? Simus ne adeò hebetes, vt de huiuſmodi homine, propoſiti finis deſertore bene opinemur?

Luſtrate, precor, mentis oculis cœnobia in quibus morati eſtis, & proferte mihi ſaltem vnum in Congregatione noſtra laudatum, qui de fine principali inſtituti noſtri exquirendo, lentè egerit. Nullum credo equidem, proferetis. Si qui enim ex hoc capite malè audiunt, velut in fronte ipſa

æquo Dei iudicio gestant modicæ existimationis inscriptum. Hoc nempe Dei iudicium est, vt in cœtu Sanctorum cōmuni suffragio explodantur, qui partes instituti, quod profitentur, explere nolunt, in eo præsertim capite, quod maximè decorum, & status monastici proprium est. Valeant hominum gratia, egregiè concionentur, miracula, si possint, patrent, non tamèn à bonis censoribus veri monachi existimabuntur, quandiù potiorem instituti finem pigrè quæsierint.

Doctrinis ergo peregrinis, patres, nolite abduci. Quicquid à vobis splendidum præstari potest, à principali fine deriuetur, necesse est, vt quæ sublimia, salutariaq. contemplati estis, cum proximis, vbi id prælatus iniunxerit, communicetis, vt potissima cura saluti, ac perfectioni propriæ impendatur, & cum occasio proximos iuuandi inciderit, ità eam functionem piam obeatis, vt cura prior, & potior nullum patiatur detrimentum.

Iam ergo quid superest? Rogabo, an instituti desertores, vel fidi custodes esse velitis? Certum omninò est (vt mihi persuasi) velle vos, quod ex tot capitibus honestum, Deo, & hominibus acceptum est, iugi intentione moliri. Strenuè certandum, corporiq. spiritum deprimenti imperādum est. Contemplatio rerum diuinarum is scopus est, qui sanguine quoque fuso peti debeat. Quid obstet? Erigite corda, quæ in cælum perenniter suspiratura statum monasticū elegerunt. Bono animo estote; cōstituti enim estis super excelsam terram (vt olim populus Israel) vt sugatis mel de petra, oleumq. de saxo durissimo. Austeritas quippè Deut. 32.

durioris disciplinæ oleo internæ lætitiæ, & melle dulcoris intimi in contemplatione prouenientis imbuitur. Oculos in cælum tollite. Terra enim, ad quam possidendam ingressi estis (vt olim hebraico populo dixit Moses) non est sicut terra Aegypti, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguę: Sed montuosa est & campestris de cælo expectans pluuias; quæ sacri textus verba ad rem nostrã appositissima sunt, Debuit electus populus, quos in Aegypto didicerat, mores dediscere, neque mentem humi defixam aquæ Nili fidentem gerere: sed ascensu difficili in montes Palestinæ contendere, vbi vel ipsa aquę penuria coactus Deum largitorem, oculis in cælum sublatis, precaretur. Hæc sors vestra est. Cælum suspicite, maiestatis Diuinæ præsentiam mente versate, regnumq. Dei studio contemplationis constanti perquirite.

Deut. 11.

Obseruatio. *Cap. IV.*

INueniant alij varia prolegomena, quæ textus expositioni prætexant. Nos pauca, grauiaq. selegimus, quę exempli causa deprompsimus: neque credimus, tam esse vtilia alia, quæ excogitari hoc loco possent, quàm quæ è textu enascuntur ipso. Nunc ad textum eo ordine, diuisioneq. capitum, qua vti mos est, accedamus.

PARS

PARS SECVNDA.

DE DISCIPLINA MONASTICA ERGA TEXTVM REGVLAE.

TITVLVS.

Regula primitiua Ord. Beatiss. V. M. de monte Carmelo à B. Alberto Patriarcha Ierosolymitano tradita, & ab Innocentio IV. confirmata.

TEXTVS PRIMVS.

ALBERTVS Dei gratia Ierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis filijs Brocardo, & cæteris fratribus Eremitis, qui sub eius obedientia, iuxtà fontem Eliæ, in monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & Sancti spiritus benedictionem. Multifariè, multisq. modis Sancti Patres instituerunt, qualitèr quisq. in quocunque ordine fuerit, vel quemcunque modum religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fidelitèr de corde puro, & conscientia bona deseruire. Verùm quia requiritis à nobis, vt iuxtà propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis, &c.

Obseruatio thematum, quæ è titulo, & primo textu duci possunt, ad exhortationes solitas.

E titulo duci potest thema vnum, de primitiui status perfectione, alterum de ordinis titulo, & Beatissimæ Virginis tutela. E textu primo peti poterit vnum de amore solitudinis, alterum de monasticorum institutorum varietate. Possent alia themata è titulo textuq. primò deduci; at nobis pauca, & salubria seligere, consilium est. Singula singulis exhortationibus expendemus.

Exhortatio de primitiui status perfectione, ad quam aspirandum est. Cap. I.

DVm ruinam collapsæ disciplinæ monasticæ multorum ordinum, qui olim floruere, contemplor, patres, cernere mihi videor Ierosolymitanam cladem, quam Ieremias Propheta alto cum sensu lamentatus est. Fuerat olim Ierusalem Deo acceptissima, opibus, & honoribus aucta, secundisq. rebus adeò fortunata, vt nihil ei aduersum accidere posse videretur. Quod satis apertè propheta significauit in hęc verba:

Thre. 4. *Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem.*

Quis enim in primæuo vrbis sanctæ statu, successuram vastitatem suspicari potuisset? & tamèn in eam calamitatem prosperitas illa versa est, vt propheta idem viatores cladem horrendam spectantes, & stupentes inducat in hunc modum:

Plause-

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Haeccine est Vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ? Thre. 2.

Hic sensus captæ, & euersę Ierusalem. Simile quiddam contigit monasticis ordinibus multis, quorum primæua firmitas tanta visa est, vt nunquam euertenda, vel grauitèr labefactanda videretur. Erat excelsus mundi contemptus, vberrimus in ijs, qui mundo renuntiauerant, pœnitentiæ fructus, prælationum fuga, humilium obsequiorũ æmulatio, orationis, & perennis Dei pręsentiæ studium, penè miraculosa frugalitas, sedatus, & cælestibus desiderijs plenus psalmorum concẽtus, & quod caput est, mutua charitas christianæ perfectionis numeris absoluta, quæ diutissimam pollicebatur firmitatẽ. Quis inter tot cœnobiticæ vitæ munimenta constitutus excidium præsagiret? Quis aduersos impetus formidaret? Et tamèn multi, quasi lapides sanctuarij è quadro lapide firmissimè constructi, dispersi iam sunt in capite omnium platearum, cùm passim videamus plurimos antiquæ disciplinæ professores ab antiquitate longissimè remotos, & negotijs secularibus implicatos, ferè abiurata militia, cui nomina dederunt.

Rogamus nunc, quænam tantæ desolationis extiterit causa? Quę nam vis tanta, quę montium fundamenta subuerteret? Responsio tàm vera, quàm communis in promptu est. Cecidit spiritualis fabrica, quia degeneres professores cœperunt à primæuo studio sensim tepescere, & nouis

abusibus viã aperire. Hęc funesti casus origo est, nec alia quidem requirenda. Hæc planè causa est luctus, quem exhibet collapsa ordinũ disciplina. Hoc spectaculũ, quod saxea corda moueret, mouit certè pectus B. Teresiæ nostrę, vt dirutam magna ex parte fabricam incredibili animi magnitudine restitueret, restitutamq. nobis traderet, in primitiua firmitate sustinendam, quod ratio multiplex à veris filijs tantæ parentis exigit.

Prima ratio à gratitudine orta. Quis enim non liquidò perspiciat, ingrati esse animi non in Deũ solummodò sed in B. Fundatricem nostram, quod accepimus, patrimonium profana prodigalitate dissipare? Immensos illa labores pertulit, vt fabricam extrueret, nos in eius labores singulari Dei beneficio introiuimus; quàm ergo turpe, & generosis animis indignum esset, si beneficio tanto abuteremur, neque ius primogenitorum ad successores nostros integrum transferremus?

Secunda ratio à similitudine hæreticorum ducta. Qui in rebus ad primitiuam disciplinam attinentibus audacter quippiã detrahunt, vel nouum quid inuehunt, non absimiles fiunt hæresum satoribus, qui sacro textu corrupto, aliquid ex prisca Ecclesiæ doctrina decerpunt, vel nouo inuento adiungunt: quorum ausus, quàm sit noxius, ex introducta semel peste, & ad posteros deuoluta, conuincitur. Facilè quippè imprimitur, quod semèl impressum aut raró, aut nunquam auertitur. In hunc modũ obseruata humani generis fragilitate, nonnulli monachi (vt mitissimè dicam) imprudentes inducunt laxas primitiuę obseruantiæ

: interpretationes,quę auidè ab alijs arripiunr, fiuntq. nouorum dogmatum auctores daturi ud Deum iudicem pænas acriores,quàm putant, ob successorum damna indè subsequuta.

Tertia ratio à propagatione Congregationis :tita. Diuino consilio factum est, vt de propaganda renati Carmeli perfectione cogitemus, uam ad rem honestè tentandã, & absoluendam, porteret sanè perfectionis primitiuæ capita aithmeticè percensere, & illibata seruare, vt sine liminutione vlla in varias prouincias inferrẽtur. Quis enim non videat, graue communis boni detrimentum esse, si disciplina monastica, quæ in decimo perfectionis gradu in regnum aliquod transferri posset, transferatur in octauo? Nemo profectò mentis compos rem hanc inficiari,nemò sine acri conscientiæ remorsu, hac ipsa de causa, de primitiua austeritate quicquam remittere posse videtur.

Quarta ratio à perfectione propria enata. Licèt nusquam disciplina nostra propaganda foret; ipsa primitiui floris conseruatio tot bonis referta est, vt à nullo cordato monacho negligi, aut non magni fieri possit. Profectò quod ad propriam cuiusq. perfectionem, quæ inter potissima bona recensetur, attinet,exploratum est,neminem perfectionis bono potiturum,qui ad primos patres disciplinæ nostrę conditores non aspiret. Quos enim ductores alios sibi finget? Porrò hos nobis Deus ad imitationem proposuit. Quis ergo extrà Dei consilium perfectionem sibi promittat?

Quinta ratio ab ira, vel gratia Dei profecta.

Ex sacris liquet historijs, vt ex Apostolorũ actibus, primitiuæ obseruãtiæ destructores à Deo seuerè punitos, conseruatores beneficijs auctos, quod è chronicis quoque monasticorum ordinum notum, & vulgatum est: quod Diuinæ Sapientiæ ordini, diuinæq. bonitatis magnitudini congruit. Quo enim maius est beneficium, quo quis ad primitiuas opes, velut primogenitus admittitur, eò indignatio maior in degeneres, quos Deus velut monstra à filiorum consortio depellit. Qua fortassè de causa, nonnulli primitiuæ perfectionis impatientes transitum ad mitiores ordines conatu magno velut extorserunt, & modicam salutis spem, conscientiæ remorsu teste, reliquere.

Sexta ratio à monachis obseruantia claris iam defungentibus orta. Si de felici obitu per salutis æternæ signa, iudicium piè, ac prudentèr ferri potest; experientia diuturna constat, egregios monachos primitiuę sanctitatis antiquorum patrum æmulos, quos nouimus, felicitèr in cænobijs nostris fuisse defunctos, ijs signis exhibitis, quæ nullus certè animus, nisi spe firmissima fretus præseferret. Lætitia enim illa, verba illa fiduciæ plena, sensus ille rerum diuinarum palàm ostensus, alijs, quàm fidis primitiuæ sanctitatis hæredibus, inter nostros, non videtur posse congruere. His autem congruit maximè. Vbi enim ad supremũ mortis agonem ventum est, animus fidelis memor obseruantiæ ad primitiuum sensum exactæ, viribus diuinis se sentit armari, nec facile immensum bonum, quo gaudet, valet occulere, aut lætitię motus cohibere. Præstiti (ait conscientia) quod debui: à

maio-

maioribus degenerare nolui: ad palmam nunc fidentèr ascendendum est. Quid modo desideratur, patres? Quid deest? Audistis, quàm sit è re vestra, primæuum Ordinis nostri florem tueri, ne tragædia aliqua tremenda contingat. Rei non modò honestatem, & vtilitatē, sed necessitatem quoque vidistis. Cur ergo Sanctos maiores nostros non impigrè imitemur? Num res nostra non agitur? Cur non arduitatem quamlibet superemus? Contendite intrare per angustam portam, & Christi consiliū æstimate. Mementote oraculi illius Apostolici: Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimū exercitatis per eam reddet iustitiæ. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite. Hęc Apostolus. Ne cedatis difficultatibus, quas sanguis, & caro prætexunt. Firmitèr retinete, quæ primis renunciationis vestræ diebus didicistis. Nouissimum vestri laboris exitum pręmeditamini, mihiq. dicite, qua spe vos roborandos, qua voluptate perfundendos existimatis, vbi obitu imminente, anteactæ æmulationis recordatio subibit? Quid respondebitis, vbi quisq. vestrū ità secum ratiocinabitur: Ego nihil non conatus fui, vt primitiuæ sanctitatis hæreditas inuiolata consisteret: Ego, vbi in cœtu monachorum quicquam primitiuæ obseruantiæ consentaneum propositum fuit, valide institi, vt executioni mandaretur; obstitiq. quoad potui, ne quid dissentaneū admitteretur: Ego, quod ad partes spectauit meas ab omni nouitate, ab omni laxa interpretatione primitiuorum rituum, & traditionum abstinui: Ego

Hebr. 12.

Ego pro flore primo alendo alacritèr occubuissem, si id tulisset sors? Non ne perspicitis, quod hortatus sum, intimo solatio plenum, & æternæ felicitatis spe subnixum esse? Agite ergo, & velut iurati Christi milites primitiuę sanctitatis arcem inuictis animis propugnate.

Exhortatio de Beatissimæ Virginis titulo ac tutela. Cap. II.

MIrum diuinę prouidentiæ consilium fuit, patres vt ordo noster honorificentissimo Beatissimæ Virginis titulo exornaretur: quod facilè perspicietis, si quà possumus, consilij diuini rationem indagemus. Non enim, honorem tantum temerè arreptum, aut fortuitò delatum credere, par est. Porrò reges, qui prudētia excellunt, non promiscuè omnes ciues, aut vrbes titulo aliquo insigniunt, sed re priùs expensa, fineq. aliquo peculiari sibi proposito, qui regiā prudentiam deceat. In hunc modū, pro humano captu, de Christi sapientia sentiendum est. Equidem finis, qui Christum decuit, hic fuisse videtur, vt Beatissima Virgo eius parens honore summo afficeretur, & singulari ritu coleretur ab ordine aliquo, in id sanè pijssimum officium destinato. Huic autem diuinæ sapientiæ scopo congruebat, vt Virgo ipsa purissima gentis cultui ipsius addictæ tutelam susciperet, & ordinem titulo ipsius decoratum peculiari cura protegeret. Hic diuinę prouidentię concentus harmonicus fuit, qui ad vniuersi terrarum orbis fines perfertur, dum nos Summis Pontificibus

id probantibus Beatissimę Virginis fratres,ingenuo scilicet nomine,aut cognométo appellamur.

Quanti autem à bonis, æquisq. iudicibus titulus, & tutela sublimissimæ cælorum reginæ fieri debeant, & ad quam vitæ perfectionem nos adigant, subiectis rationibus suadetur.

Ratio prima. Ex ipso titulo, quem Beatissima Virgo nō dedignata est, vniuersus mundus agnouit, ordinem nostrum ad numerum earum rerum, quæ ipsi Virgini Sacrantur, pertinere: Vnde, & nos, velut exemptum genus, ad supremæ mundi reginæ aulam admissos, & tanquam palatino signo notatos intuetur. Quid autem hoc honore splendidius?

Ratio secunda. Excelsissima angelorum regina, ex quo titulum nostrę tutelaris accepit, nos in filios peculiari tandem ratione aliqua velut adoptauit; non enim, absq. fundamento aliquo, ordo noster non huius, aut illius Patriarchæ, vt S. Dominici, vel Francisci, sed Beatiss. Virginis ordo iam olim nuncupatus est. Si ergo Professores Ordinis S. Dominici, aut S. Francisci eorum filij, modo peculiari, qui non alijs attribuitur, appellātur, & sunt; profectò & nos tātæ reginæ filij peculiari ratione aliqua, quę non vniuersos ordines peruagetur, nuncupari debemus; quod quàm sit pretiosum, & præclarum, satis ex primi nequit. Non defuerunt certè ab origine Sancti, quibus titulus ordinis tribueretur, siue censeatur verum, nos ab Elia Propheta genus ducere, siue ad noui testamenti Sanctos, primos nempe Carmeli mōtis incolas disciplinæ nostræ conditores, siue ad B. Al-

bertum

bertum regulæ auctorem referamur. Cur ergo non ijs titulus, & adoptio ascribitur, nisi quia cęlesti consilio, Beatiss. Virgini debebatur? Igitur si ipsa parens nostra est, peculiari Dei electa consilio; necesse palàm fit, vt quadam filiorum prærogatiua, non meritis nostris, sed bonitati diuinæ ascribenda, nos à cælorum regina in sortem ipsius acceptos sentiamus.

Ratio tertia. Titulus non sterilis, non inutilis est. Ex ipsa quippe tutelaris functione Beatissima Virgo id nobis præstare credenda est, quod tutelares alijs suis ordinibus præstant, vt scilicet peculiarem gerant eorum curam, & apud maiestatem diuinã pro suis alumnis instent, omniaq. eorum negotia felicitèr expediri satagant. Si ergo alij ex ipso tituli, & protectionis iure, id officium fidelitèr explent; quid de tutelari nostra, quæ Dei opes velut proprias dispensat, censendum est?

Ratio quarta. Licèt omnia sileremus rationum momẽta, sileri nequit officium vnigeniti filij Dei erga suam parentem, ad cuius optata, cælestes diuitias liberaliùs, quàm dici possit, effundit. Si ergo Christus, liberalitas, videlicet ipsa, filijs alienis, hoc est, peccatoribus abundè bona largitur; quid non erogabit matris suæ filijs, quos ipse ad quoddam tantæ matris, velut cõsortium asciuit? Profectò si filij, & hæredes: & cùm hæreditatis procuratio ad eius genitricem, protectionis iure pertineat, credi non debet, Christũ, ad postulata matris, in filios deriuanda, nõ fore promptissimũ.

Ratio quinta. Non solis, ac ieiunis rationibus inni-

innitimur, ne quis aduersus ea, quæ prompsimus, quippiam excipiat. Rationes certè multis experimentis fultæ sunt, puta vestis, siuè scapularis, quod à Beatiss. Virgine accepimus, & beneficiorum planè grandium, quæ in eius officio nobis à sacra rituum Congregatione concesso attinguntur, vt reticeamus alia, quæ nimis onerosum esset recensere. Si ergò tituli, ac tutelę argumẽta adeò illustria, & tam multa accepimus, quis non iudicet, tituli, tutelæq. ipsius bonum magni fieri debere, nosq. ijs fretos spem firmissimam summi, ac sempiterni boni posse concipere?

Expendite modo, patres, vim rationum, quas protulimus, vt ijs ad honestum æstimandum, & exquirendum vtamini. Habetis tutelarem, cuius puritate nihil absolutius infra Deum potest cogitari. Eius filij, virgineo quodam velut partu in lucem Congregationis nostrę editi estis. Agnoscite genus, & attentiùs explorate, an generosi, vel degeneres sitis. Profectò Beatiss. Virginis filios parenti similes esse decet, nam qui dissimilis euasit, turpi se labe fædat. Si ergo vitæ similitudo filiorum nota est, cum cælorum regina profundissimam humilitatem, syncerissimam obediendientiam, patientiam inuictissimam, dulcissimam mansuetudinem, charitatem ardentissimam coluerit; quis non animaduertat, Carmelitam Discalceatum, quod profitetur, esse nõ posse, nisi virtutes similes parare studeat? An Virgo humilis monachum superbum, obediens proteruum, patiens impatientem, mitis iracundum inter filios reponet suos? Quomodò Discalceatus loquax ta-

citæ

citæ matris filius,commoditatis amans inopis filius, oculorum licentia impudens modestæ filius, secularium consuetudini deditus abditæ Virginis filius existimetur? Si filius sapiens matrem exhilarat,quid de filijs insipientibus dicemus? Porrò si angelorum regina capax iam mæstitiæ foret,timendum, ne mæror ex aliquorum filiorum stultitia conceptus lætitiam omnem, vitamq. ipsam adimeret. Qnod ne omninò gratis dictum videatur, argumentum hoc validum audite.

Ex rationibus superiùs propositis euincitur, Beatiss. Virginis tutelam ad nos roborandos, & cælestibus auxilijs muniendos,esse appositissimã, ipsamq.officio protectionis minimè deesse. Quomodò ergo non pauci alumni Ordinis ab ea protecti parùm religiosè vitã instituunt? Quomodò quod attinet ad veras virtutes cõquirendas,non proficiunt magis, quàm si vitam monasticam veste mutata deseruissent? Quomodò post annos sex octo,aut decem, sub auspicijs reginę cælorũ exactos,tanta bonarum affectionum,& operum sterilitate interarescunt,ac si in seculo litibus,& fraudibus intenti remãsissent? An Clementissima Virgo si doloris, & mortis ictibus confici posset, non grauitèr sauciaretur, ex auersione filiorum, quos tam enormiter aberrare conspiceret? Bene est, quòd sicut Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, ità eius genitrix à mortali ad immortalem vitam traducta sit. Verum degeneres filij ex hoc capite minimè culpas extenuant,cùm quod ad se attinet, id efficiant, quod dolorem, & necem posset afferre.

Dege-

Degenerent tamen alij, si volent. Vos tamen, patres, ne officium deseratis. Mundus sanè existimat, vos veros, & in delicijs habitos Virginis filios esse: & cum ad solemnes proceditis actus, candidatum agmen, velut prolem intemeratæ parentis intuetur. Ne ergo committatis, vt in re tanta orbis terrarum seducatur. Vnigenitus Virginis filius agnus est: Vos quoque agnorum nomen, & mores præferte. Quale, rogo, monstrum foret tigris, vel lupi animus agni vellere obtectus? An coram agno Dei prætexet vellus? An prætexet titulum filij Virginis? Dei oculis omnia nuda, & aperta sunt, neque Deus vnquam irridetur.

Beati agni. Beati veri Virginis filij, qui modestiam, puritatem, mansuetudinem, ceterasq. virtutes statui consentaneas colunt, & Beatissimæ Virginis mores, (qui potissimus eius cultus est) quam possunt impensè imitantur. Hi perfectionis primitias legitima hæreditate sortientur, & ingenua prærogatiua gaudebunt. Hic reginæ cœlitum verus cultus est, in quo, nostros, ad proportionem tutelæ, oportet excellere. Hoc cultu qui claruerit, quibus, putatis internis diuitijs cumulabitur? Quibus oculis illum regina Virginum intuebitur? Quibus illum suprema mortis hora munimentis armabit? Quàm lęto vultu è pręlio mortalitatis reuertentem curia cęlestis quę reginę suę filios ęstimare nouit, excipiet? Quid nunc attexam? Reddite patres, quod pręclarissimę tutelari nostrę iure summo debetis, & ad ęternas opes, sub eius aspicijs festinate.

Ex-

Exhortatio ad solitudinis amorem è primo textu regulæ petita. Cap. III.

DE solitudinis amore dicturus, patres, quo aptiore vtar exordio, quàm ipsis regulę verbis, quibus Albertus Ierosolymorum Patriarcha Eremitis, iuxta fontem Elię, in monte Carmelo, morantibus salutem dicit? His quippe verbis, loci consilio diuino selecti ad locanda nostrę disciplinę fundamenta, descriptio compendiaria pręmittitur, quę bonos admonet Carmelitas non primęvę duntaxat sanctitatis, qua maiores nostri claruerunt, sed loci etiam, in quo, velut in solo pingui, sanctitas ipsa coaluit, quod à nobis oscitanter prętereundum non est. Cùm enim patres nostri locum illum à mundi strepitu longè disiitum, & ad animos in cœlestia bona erigendos peropportunum elegerint, vt posteritas eo exemplo erudiretur: necesse profectò est, si eorum menti congruere velimus, vt loca similia, & amemus, & quoad fieri posiit, exquiramus, quod subiectis rationibus suadetur.

Ratio prima. Potior instituti nostri finis est diuina contemplatio, vt in prolegomenis expensum est. Cùm ergo ex communi omnium sententia solitudo sit contemplationi opportunissima; quis non iudicet patres nostros appositè ad scopum, quem sibi pręfixerant, locum elegisse, nosq. si idem conemur, medium prudentissimum ad instituti nostri finem electuros?

Ratio secunda. Familiare est ijs, qui Deo vacare

care cupiunt, ſecedere in deſerta loca,ob eam commoditatem, quam ſolitudo exhibet, ſtudij in cælum intenti, nec interpellati : Patet hoc quotidianis negotiatorum exemplis, qui vbi per dies paucos negotia intermittere, diuinisq. rebus animum intendere ſtatuunt, locum aliquem deuium in primis petunt, rati ſe aliàs nō ſatis ad votum, quę ſtatuerant, expleturos. Cùm ergo nos non per dies aliquot intercalares, vt negotioſi illi, ſed per totius vitæ decurſum contemplationem cæleſtem profiteamus; quomodò poterimus incenſum profeſsionis noſtræ ſtudium cum modico ſolitudinis amore connectere? Aut quomodò non à propria conſcientia redarguetur, tanquàm principalis ſtudij tepidus executor, qui ſolitudinis medium fini appoſitiſsimum minimè, aùt leuiter curat?

Ratio tertia. Exploratum eſt, Congregationis noſtræ menti conſentanea eſſe ſolitudinis deſideria, cum de cœnobijs eremiticis, cellisq. ad morem primitiuum, & antiquum ſeparatim extruendis leges tulerit, exemplo Congregationis Hiſpanicæ, vnde genus duxit. Si ergo doctrina, quàm tradimus, legibus noſtris conſona eſt; profectò deſideria ſolitudini aduerſa, parùmue congruentia extra leges aberrare videntur. Neque vis rationis eneruatur, quod Congregatio noſtra neminem ad ſolitudinem cogat, cùm omnibus eam, vti rem honeſtiſsimam, & à primæuo ſtatu noſtri Ordinis deriuatam proponat. Neminem ſanè cogit; at vehementèr laudat ſtudium eorum, qui ad ſolitudinem de prælatorum venia ſe recipere nituntur: qui ex communi ſententia præferri ſolent

alijs id non itå expetentibus, quippè qui solicitiùs, quàm alij, meliorem partem à Christo probatam exquirant.

Ratio quarta. Tamètsi qui loca deserta, iuxta disciplinam, legesq. nostras exoptant, à nemine commendarentur, profectus spiritualis certis experimentis deprehensus eos prædicaret. Negari quippè nequit, quantùm è signis humano more conijcere licet, internorũ iudicio cognitori Deo reseruato, eos, qui prælatorum concessu in solitaria loca se abdunt, maiorem, quàm alij præseferant, mundi contemptum exhibere, ardentioribus cælestium bonorum flagrare desiderijs, in exercitia spiritualia accuratiùs incumbere, communibus regularis disciplinæ actibus frequentiùs interesse, sacræ Scripturę, piorumq. librorum lectioni diutiùs vacare, ab humanæ laudis, aut gloriæ vanæ occasionibus longiùs recedere, altioremq. Dei sensum concipere. Hæc profectò nota, & cõmuni sermone vulgata sunt. Si ergo hæc itå se habent, sanè qui sui profectus cupidus est, quoad per obe dientiam licebit, se Marthę laboribus, ac discursibus subtrahet; & otium Magdalenæ, in recessu, ad pedes Christi requiret.

Ratio quinta. Prętexet fortasse aliquis, se vel morbis, vel melancholicis impressionibus, vel alijs causis ab studio solitudinis auocari. Ceterùm exceptio hæc non ad solitudinem reprehendendam, sed ad exceptorem excusandum confert: cui non vertitur vitio, si iustis de causis eam minimè petat, secùs si minimè laudet, aut probet. Quòd enim vnus, vel alter excipi, ob animi cor-

po-

porisue intemperiem, debeat, cur communi probandæ solitudinis obstet doctrinæ? cur obstet experientiæ?

Ratio sexta. Nemo è nostris post spiritualem tyrocinij educationem adeò cæcus esse posse videtur, vt varijs posteà curis studijs, aut laboribus intentus non animaduertat, se velut alterum hominem, ab eo, qui primùm noua Christi infantia per religionis ingressum renatus est, euasisse, quantumuis pia munia, puta concionum, & Sacrarum Confessionum obierit. Si enim hanc vitæ rationem minimè dignoscit, modicum lumen nactus est. Profectò clarissimi sancti eam in se ipsis obseruarunt, & alto cum sensu fleuerunt. Cum ergò mutatio hæc frequens sit, remediumq. morbo contrarium, & præsentaneum sit solitudo; nescio quà mente à Carmelita Discalceato reijci, aut non optari queat.

Ratio septima. Suppetunt exempla communibus historijs vulgata Sanctorum Ecclesię gręcę, & latinæ, qui eo tempore, quo mundus eorum pręsentia maximè indigere videbatur, se à medijs vrbibus proripuere, vt spiritus pastu pinguiore in solitudine reficeretur, & vegetior effectus ad cõsueta officia rediret. Si ergo Sanctorum exempla pondus habent, & aliundè vitæ institutum nonmodò non obstat, sed inuitat, prælatorumq. venia datur; profectò solitudo postulata, & obtenta virtutis augendę minimè despicienda occasio est.

Ratio octaua. Christus, vt è textu liquet Euangelico, plerumq. secessit in solitudinem, vt nos exemplo tanto instrueret, ad cõsuetudinem illam

filiorum Dei ab exilio in patriam suspirantium æmulandam. Quod sanè tanti præceptoris documentum animis Sanctorum altè adeò insedit, vt repleuerit deserta anachoretis, & à cœnobitica in solitariam vitam illustrissimos viros multa cum laude traduxerit.

Quid de rationibus productis iudicandum esse existimatis, patres? Quòd, rogo, iudicium ferretis de monacho Carmelita, qui contemplatiuam profitetur vitam, & solitudinem odit? An hęc possint cohærere? Quid de illo censendum, cui cœnobia ab vrbibus remota, & ad solitariam penè formam accedentia ex eo capite displicent, quòd à secularibus minimè frequententur, ægreq. fert eam, quam sancti expetiuerunt, commoditatem, ad res diuinas sine interpellatione pertractandas? Beati, aiebat Augustinus, quorũ omne opus oratio! Hi verò se beatos iudicant, vbi ab orationis exercitio, frequentia secularium instante recedunt. Hi certè nimis ad res humanas videtur affecti, neque vnquàm inter diuinos viros reponentur. Profectò qui solitariam ducit vitam (vt Aristoteles primo politicorum dixit) est bellua, aut
2.2.q. 188.ar. 8.ad 5. Deus, hoc est, (vt S. Tho. interpretatur) vir diuinus. Cùm ergo solitudo, quàm suademus, non ad vitam ritu belluarum, sed cælitum more instituendam pertineat; efficitur, vt qui eam obedientiæ ductu sectantur, in numerum diuinorum virorum referendi sint. Etsi enim, quod ad externum spectat habitũ, alijs similes sint, quod tamen ad mores mundo altiores attinet, ea inter hos, & alios, quę inter ingenuos, & plebeios differentia con-

ſpicitur, quod ſimilitudine ſatis appoſita è ſacris litteris petita demonſtremus. Sanè ſi onagros, aſellos, ſcilicet ſylueſtres, & domeſticos quod ad corporis habitũ pertinet intueamur, exacta conſtabit ſimilitudo: ſi verò mores, mirum eſt inter vtrosq. diſcrimen. Domeſtici enim ſeruili more onera geſtant, religantur, verberantur: ſylueſtres ab oneribus, vinculis, fuſtibus ingenua conditione exempti ſunt, & liberrimè campos, montesq. pererrant, ſicut ſcriptum eſt:

Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernaculum eius in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ uæ, & virentia quæquè perquirit. Iob 39.

Ecce quàm liber à ſeruitute aſellus, qui ſolitudinem percurrit, antitheſi facta ad eum, qui in medijs vrbibus ſeruit. Hac certè de cauſa opportuna ſimilitudine onager ſolitarium virum, qui mundi iugum excuſſit, domeſticus aſellus hominem ſeculi onera ferentem ſignificat. Ex quo palàm efficitur, vt monachus, qui ſecularium frequentiam affectat, in ſeruitutem domeſtici aſelli ritu degeneret. Vos autem patres frui poteſtis libertate, qua Chriſtus vos liberauit, & ſeculi ſtrepitum per interualla declinare. Quam ergo ſortem eligitis? Quam conditionem optatis?

Tempus breue eſt: animusq. in multa ſtudia diuiſus vix ſapientiam primoribus labijs delebat. Vtinàm dies hos paucos vitæ fugaciſſimę magna ſaltem ex parte ibi tranſigeremus, vbi ſola bono-

rum æternorum desideria æstuarent, & veræ pœnitentiæ lachrymę essent nobis aquæ scissæ in deserto, & torrentes in solitudine! Fugite, quoad potestis, è medio Babylonis, & tabernacula Iacob, vbi modica quies est, ne importunè requirite. Diligite potiùs portas dulcissimę Sionis, & pacem, quæ superat omnem sensum, dum per obedientiam licet, opportunitate loci parate.

Exhortatio de Institutorum monasticorum varietate, & proprij instituti vsu. Cap. IV.

DIuinàm profectò Christi sapientiam decuit, patres, ita Ecclesiæ fabricam extruere, quemadmodum mundi molem principio condiderat. Vt enim varia in orbe vno loca, temperie, fertilitate, rerum maiore, minoreuè copia distinxit, ita in ecclesiæ corpore partes varias diuersa perfectione discreuit. Ex quo certè miro partium discrimine, non quidèm soluto, aut ægrè cohærente, sed aptissima proportione concinno, spiritualis ecclesiæ pulchritudo cõsurgit. Confert itaque ad sponsæ Christi decorem varia diuini cultus disciplina, ordinibus distinctis aptè disposita, eamq. velut reginam forma præstantem mirificè exornat: quod psaltes regius extulit in hęc verba, absolutam sponsæ pulchritudinem Christo gratulatus:

Psa. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.*

Hic ordo contemplationi, ille actioni, alius mixto destinatur instituto, & ex mixtione ipsa

mul-

multiplex ordo temperatur; atque in hūc modum vestis quædam polymita, & velut auro, sericoq. intertexta sponsę Christi circumdatur. Hæc reginæ forma, hic amictus est.

Nunc ergo boni prudentisq. monachi partes sunt, varietatem hanc Ecclesiæ multis monasticis ordinibus ornatæ habere perspectã, & proprium institutum, quod semel arripuit, relictis alijs exactè obseruare, nulla extranea doctrina obtrusa, vel admissa, quod his rationibus monetur.

Ratio prima. Deus omnia fecit in numero, pondere, & mensura, quod non minùs propriè in corporibus mysticis, quàm in physicis seu naturalibus accipiendum est. Quocircà cùm rem quãq. mathematicè, vel etiam arithmeticè (vt ità dicamus) distinxerit, quæcunque pars loco proprio non consistit, ordinem pulcherrimum à Deo discretum, quoad potest, perturbat, atque confundit. Monachus ergo, qui intra suæ professionis metas non se continet, diuini ordinis perturbator est, quoties aliena instituta certat inuadere, efficitq. id, quod extumescens mare minatur, vbi præstituta littora obruere velle videtur. At mari imperatum est?

Vsque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Iob 38

Cui certè imperio simile est illud à regio vate de aquis decantatum:

Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.

Sic Deo obtemperandum est à monacho, qui aliena instituta aggrediẽdi tentatione infestatur.

Ratio secunda. Quod in corporis humani constitutione cernimus, hoc in corporum mysticorum spirituali, seu morali habitudine experimur. Vt enim corpus vnumquodq. humanum figuram, temperiemq. habet eam, cui aliã per omnia consentientem nusquam reperire continget; ita Religio quæq. eas habet proprietates consilio diuino præscriptas, quibus aliæ ex omni capite cõgruentes in ordine monastico nullo concrescunt. Vt ergo figuras, vultusuè, & habitudines humanorum corporum velle conciliare ineptum est, ita monasticorum institutorum concordiam ex omni parte, aut ex ea, quæ à quolibet instituto, iustis de causis excluditur, quærere, absurdum censetur.

Ratio tertia. Si ratio suppeteret aliqua, ob quam monachus alia instituta cum proprio permiscere deberet, esset certè maior aliqua vitæ perfectio. At hæc exceptio nullius ponderis est. Si enim Deus non eum vocauit ad statum illum perfectiorem, quorsum se intrudit ipsum? Non enim ab eo Deus in supremo iudicio exiget eam perfectionem, ad quam non eum euocauit: præterquam quod si perfectionis vrgetur desiderio, dedat se perfectionis studio in eo instituto, quod profitetur, & adipiscetur bonum, cuius imagine delusus aliena meditatur. At obijciet, institutum aliud sibi videri cõmodius ad vitæ perfectionem comparandam. Cęterùm non benè consultat: res quippè iam decisa est, neque de statu electo prudentèr iam consilia noua init. At dicet, institutum sanè ab origine bonum est, verum monachorum vitio laxatũ. Sed obiectio hęc fortasse alijs à

pri-

primitiua obseruantia in calamitosam sortem col lapsis congrueret; nostris autem diuino munere societatem florentem nactis minimè consonat, manifestaq. dæmonis suggestio videtur, aliud optare,quàm quod cælitùs concessum est.

Ratio quarta. Admittamus, aliquod tandem vitæ monasticæ institutum feliciùs modò florere, quàm nostrum, quod diuino consilio floret. Hoc tamen admisso,ratio diuinæ prouidentiæ,qua nobis hoc præ alijs institutum inspiratum est, non fert,vt de bonis alijs, sed de proprijs nostris agamus: non enim alia,sed hoc peculiare vitæ genus à Deo nobis iniunctum est, huiusq. perfectio à nobis ità exigitur, vt in eo exactè præstando laus nostra posita sit. Simile quiddam in varijs Ecclesiæ ordinibus, ac in actibus tragediæ, comœdięq. perspicimus, vbi quisq. laudatur, non ex nobilitate personæ, quam finxit, sed ex proprietate, si ad viuum personam expressit; atque adeò prefertur is, qui plebeium negotiatorem verbis, gestibusq.aptè repræsentauit,ei, qui imperatoris personam minùs aptè retulit. Sic profectò,qui status proprij partes explet, antefertur ei, qui altioris status perfectionem minus æquat; quod crebrò accidere solet.

Ratio quinta. Experientia constat,eos, qui ad aliena instituta se affici patiuntur, plerumq. seduci, vel transitu attentato, vel animo à proprio statu saltèm auerso. Ex quo fit,vt certam proprij instituti, & perfectionis iacturam faciant: & parùm felici exitu, quantum coniectare fas est, demum intereant. Cuius certè mali origo fuit mo-

dica

dica proprij status æstimatio leuibus ex occasionibus orta, quæ proinde procul arcenda est.

Ratio sexta. Ordines monastici, qui laudem primam promerentur, sunt ij; qui non modò ex alienis institutis noua dogmata suis non intexuerunt, sed qui formulam sibi traditam adeò tenacitèr retinuere, vt ne ex minimis quidem ceremonijs olim acceptis quippiam detrahere, addere, vel mutare, melioribus quoque ritibus propositis voluerint. Etsi enim multa ex genere meliora olim præscribi potuerint; statuta tamen bona in morem inducta ex prioris electionis, & consuetudinis circumstantijs, alijs ex genere melioribus præferri debere visa sunt.

Ratio septima. Nemo adeò imprudens esse posse videtur, qui magnum argenti pondus bono consilio repertum cum incerta spe auri effodiẽdi commutet. Qua ergo mente, qui bonum profitetur institutũ minimè remissum, vbi multam vim bonorum operũ contrahere potest, animum adjiciat ad incerta lucra, quæ facilè animo concipiuntur, rarò tamen ex sententia succedunt? Sanum consilium est, benè cœptis insistere, & aliena officia minimè vsurpare.

Ex his, quæ prompsimus, liquet, patres, magni interesse, si quisq. nostrum in opus proprij instituti totus incumbat, expendatq. verba illa, Verùm quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis. Quibus ex verbis patet, patres nostros noluisse aliena instituta vsurpare, propriamq. vitæ formam à B. Alberto postulasse

lasse,& obtinuisse, sibiq. rudes, ac informes fuisse visos, donèc formulam certis limitibus circumscriptam acceperunt. Hanc ergo & nos accepimus à B. Teresia fundatrice nostra restitutam, à qua recedere piaculum est. Hanc nonnulli à propio & natiuo statu detorquere, & varijs institutorum generibus adulterare conati sunt: quibus aptè obijci posset illud Apostoli ad Galatas:

Miror, quod sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangeliũ: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt cõuertere Euangelium Christi. Gal. 1.

Et illud:

Currebatis benè: quis vos impediuit veritati non obedire? Persuasio vestra nõ est ex eo, qui vocat vos. Gal. 5.

Hoc scilicet, quod Apostolus Galatis, qui priùs syncerum Euangelium cupidè amplexi fuerant, postea doctrina extranea corruperant, exprobrauit, posset ijs obtendi, qui institutum nostrum germano sensu antea susceptum, peregrina, & violenta mixtione peruertunt. Cauete ergo, patres prodigium hoc, ne in vos feratur sententia anathematis, quo Apostolus instituti nouatores peruellit in hæc verba.

Licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis, preterquàm quòd euangelizauimus vobis, anathema sit. Gal. 1.

Formulam vobis præscriptam syncero sensu tuemini; & præstitutos vobis à Deo fines transilire ne satagite. Hæc est sapientia nostra, à qua, ne latum quidem vnguem, etiam sacrificij prætextu discrepandum est. Præscripsit Deus Saul per Samue-

Samuelem formulam,qua vteretur in cæde Amalec : ille verò accepta formula, nec ſyncerè retenta,pietatis colore doctrinam permiſcuit alienam partimq. factæ præſcriptioni, partìm admixtæ doctrinæ demum adhæſit. Qua de cauſa, & ipſe, & totum,quod egit, à Deo grauitèr reiectum eſt, per verba illa :

1. Reg. 15. *Pœnitet me,quòd conſtituerim Saul regem,quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.*

Ecce ſine diſtinctione partis, quam expleuerat reſpuitur, quia non ſyncerè formulam mandati retinuit, nec profuit ei exceptio illa, ſiue animus immolandi,quæ ex cæde ſubtraxerat, & reſeruauerat. Hoc quippè non ad eius pertinebat inſtitutum, quod memoriæ mandandum eſt. Scripta ergo, traditiones, mandata, & vniuerſa, ex quibus noſtrum conflatur inſtitutum, vti Dei gratia cœpiſtis, cõſtantèr obſeruate. Peregrinas impreſſiones validè repellite. In caſtris Eccleſiæ militantis, in ea ſtatione,quæ vobis contigit, animosè perſiſtite: & ijs armis, quibus obſepti eſtis,regnum cælorum, quod vim patitur, ampliſsimæ ſpe mercedis expugnate.

TEXTVS SECVNDVS.

De Priore habendo, & tribus ſibi promittendis.

Illud in primis ſtatuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi,omniumq. aſſenſu, vel maioris, & ſanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veri-

tate

tate seruare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.

Obseruatio thematum, quæ duci possunt è secundo textu regulæ, ad exhortationes solitas.

PRomi possunt tria grauissima, & vtilissima themata, vnum ad obedientiam, aliud ad castitatem, aliud ad paupertatem commendandam: & sub quouis themate plures conciones, siue exhortationes fieri poterunt. Nos exempli gratia tres duntaxat exhortationes subijciemus.

Exhortatio ad obedientiæ votum explendum. Cap. V.

DIcturus de obedientiæ voto, inter solennia nobilissimo, patres, primo loco obseruandum existimo, quàm sapienter in regulæ capite collocetur. Hæc quippè prima præscriptio est, vt vnus eligatur Prior, cui obedientia promittatur, quæ primo, ac dignissimo loco statui debuit, cùm totius disciplinæ monasticę basis, totiusq. perfectionis compendium sit. Quocirca eam pensitabimus, & habito delectu, è plurimis, quæ depromi possent, pauca proferemus, è genere illorum, quæ salubriora videntur. Et primũ quidem supponendum, votum obedientię, à virtute obedientiæ ità discerni, vt, quod lugendum est, pleriq. annis multis voto astricti perseuerent, qui obedientiæ virtutem minimè nacti sunt. Primo quippe vocationis calore concepto, votum emisere: at veros obedietię actus exercere detrectarunt, atque adeo virtu-

virtutis, quam parare debuerant, expertes, solo voti vinculo innexi permanent, velut sterilitate damnati, quorum consortium tanquam morbi contagiosi genus vitandum est.

Obseruandum mox, obedientiæ exercitium, quo virtus vera paratur, in eo situm esse, vt monachus imperata intellectu miti probet, voluntate prompta amplectatur, expediteq. exequatur, non quòd ingenio ipsius congruant, vel alijs ex capitibus honorifica, vtilia, vel delectabilia sint, sed ea dumtaxat ratione, quòd sint prælati iussa spontè nata, non extorta, aut aliundè profecta. Annotandum præterea vitium frequentissimum, quod serpsit in claustra, cum ratione, modoue ipso obedientiam colendi, aperto bello pugnare. Nihil enim crebrius, quàm prælatum vrgere, varijs hinc, indè rationibus mirificè contractis, & concinnatis, ad persuadendum, vt hæc, illaue postulata concedantur, vbi perspectum est germanum obedientiæ cultum nequaquàm inueniri. Nihil itèm frequentius, quam fuga eorum, quæ à prælatus iniunguntur, nisi fortuito placeant, quæ sanè vbi explentur, quia placent, profanus quidã obedientia prætextus est. Animaduertendum deniquè, in claustris etiam florentibus paucos obedientię cultores omni maiores exceptione reperiri, cùm obedientię perfectio sine multiplici, ac perillustri proprij intellectus, voluntatisq. victoria, perquiri nequeat. Intellectum autem, ac voluntatem raro ità peruinci, & in obsequium fidei redigi, compertum est.

Hæc imẽnsi ponderis capita pręfari oportuit,

vt ijs,

vt ijs, quę dicere paramus internum admoueatis auditum, & ad obedientiæ æstimationem animi excitentur vestri, quorum res agitur, vbi de obedientia colenda, ad votum reddendum sermo fit. Vt ergò tantæ virtutis studio vos dedatis ipsos, & quos optatis fructus referatis subiectas rationes attentè percipite.

Ratio prima. Omninò certum est, vos mundo nuncium remisisse, vt primam, & potissimam victimam proprium scilicet, iudicium, ac voluntatem Deo immolaretis, qui est ipse proprius obedientię cultus. Cùm ergo in eodem proposito persistatis quale delirium foret, quod spopondistis diuinæ maiestati, nō reddere, & spirituali, detestabiliq. furto res Deo cōsecratas profanè vsurpare?

Ratio secunda. Inter clementissimum Deum, & voti nuncupatorem quidam contractus, quoddamq. spirituale, velut matrimonium initur, ita vt, qui votum emisit, sui iam iudicij, & voluntatis vsum legitimum non habeat, nisi vt diuinę voluntati à prælatis nunciatæ cōsentiat, reciprocoq. modo diuinum iudicium, ac voluntatem, vti propria bona recipiat, quæ voti obedientiæ complexio est. Quis ergo adeò desipiat, et contractum honestissimum infelici, turpiq. diuortio soluere, nec Dei iudicio, ac voluntate gubernari velit?

Ratio tertia. Licèt nullus vnquam contractus intercederet, obsequium obedientiæ, diuinæ maiestati præstitū, res tam decora, & honorifica est vt summis votis expeti debeat: quod facile demostrant seculares pij obedientiæ voto minimè astricti, qui spontaneam suis confessarijs obedien-

dientiam fidelius, quam monachi multi suis prælatis, reddunt, rati honestissimum esse, aliquem sibi præponere, qui Dei loco præsit: quod quam sit Deo ipsi acceptum, ex fructu pietatis cumulato, quem recipiunt, prudentèr conijci potest. Si ergo rei honestas seculares allicit, cur monachum non demulceat?

Ratio quarta. Quamuis omissa interim honestate, sola conscientiæ securitas expenderetur, deberet profectò obedientia studiosissimè coli, & prelati iussa, velut oracula celestia excipi. An viator solitudinem vastam pererrans belluarum fremitu territus implexis truncorum capitibus insistens non magni faceret ductorem regionis benè gnarum, quo præeunte in locum tutum sine ambagibus, periculisuè concederet? Multi sunt vitæ mortalis anfractus, incerta prouidentia, anceps consilium, ibiq. plerumq. latent peiora discrimina, vbi salus tutior credebatur. Cùm ergò nihil in hoc exilio sit optabilius, quàm in patriam cælestem, rectis itineribus absque defectione, erroreq. contendere, constetq. veros obedientes tutò agere, dum à prælatis se sinunt duci, eamq. viam regiam à cunctis sapientibus existimari; dicendum prorsus videtur, monachum, qui obedientiæ ducatum refugit, stupidè ineptire, aut etiam insanire.

Ratio quinta. Si aliquod suppetit perfectionis acquirendæ desiderium, eo ipso vigere debet colendæ obedientiæ studium. Cùm enim obedientia ipsa virtutes omnes, è quibus monasticæ perfectionis componitur integritas, in animum inducat;

cat;

eat; aut à progreſſu perfectionis, in quam monachus tendit,deſiſtendum,aut obedientię cultui inſiſtendũ eſt. Porrò nemo inficiari poteſt,obedientiam virtutes omnes ſecum connexas inducere, cum conſtet prælatorum iuſſu actus virtutũ aliarum, puta,humilitatis,charitatis,prudentiæ,temperantiæ, exerceri. Si ergo tam decora,honeſtaq. ſocietas placet, cupitisq. animũ veris virtutibus excolere,obedientię ſtudio impensè vacandũ eſt.

Ratio ſexta. Quoties obedientię reſiſtitur,bellum geritur,prælato ius exigente ſuum, ſubditoq. negante.Quis autem bellum iuſtum ex parte ſubditi pertinacis eſſe contendat,cùm videamus monachos minimè paucos obedientiæ deſertores,& apoſtatas ſauciam conſcientiam gerentes, neque valentes requieſcere, à quibus ſi petatur tantæ calamitatis origo, reſpondebunt, ſi vera fateri velint, ſe in eas anguſtias incidiſſe, quòd cum prælato concertare, neque cedere voluerint? Prætexant ſubditi quicquid volent: rarò enim tam ſe iuſtos euincent,vt à prælato iniuſtum bellum geri conuincant, in ijs ordinibus, vbi ſpiritus, & legum cuſtodia vigent, quod nobis experiẽtia com pertum eſt. Qui ergò ſtabilitam çum Deo pacem tueri cupit,ne cum prælatis eius vicem gerẽtibus confligat,ſed eis fido obedientiæ cultu concedat.

Ratio ſeptima. Si res, è quibus imperfecti monachi anſam obedientiam violãdi arripiunt, contemplemur, maior multò, quàm aliàs inobedientiæ videbitur turpitudo. Malè quippè erga prælatos affici, eorumq. mandata præterire, aut non magni pendere aſſueſcunt,non alijs de cauſis,quã

quia papyri folium, imagunculam aliquam, vel id genus alia petita non indulgent, aut difficultèr annuunt: quod experimẽtis multis deprehensum est. Quis ergo non miretur incredibilem fragilitatem hanc, & muliebrem animum, cuius affectus ijs de causis erga prælatum intepuit? Quis non apertè perspiciat expeditum, & facilem esse obedientiæ exercitium, & non posse vllam idoneam excusationem afferri, vbi quæ obstant, adeò exigua sunt? Profectò inter monachos obedientes recenseri non debet, qui leuissima illa non aspernatur, & obedientiam sine vlla animi perturbatione æquè colit, siue cõcedantur, siue denegẽtur.

Ratio octaua. Prætexitur absurditas rerum, quæ interdum iubentur. At quis te constituit iudicem iudicis tui, monache degener, & curiose, rerum explorator? Sit quisq. domus propriȩ censor. Certè quod ad nostram Congregationem attinet, non imperantur absurda, sed honesta, & vt plurimum indifferentia, quorum pars altera probabilis eo ipso fit probabilior, quòd prȩlatis probatur: quo in euentu boni monachi non est, aduersum partem propugnare, sed collũ Christi iugo subdere, quod vtinam lectorum animis hæreat.

Ratio nona. Re inter monasticȩ disciplinȩ consultos collata deliberatũ est, multos, qui sibi obedientes videntur, per quam rarò vllum syncerum obedientiæ actum producere. Cuius rei efficax argumentum est illorum solicitudo ad comparandum prælati animum, & ineundum quoddam familiaritatis genus, quo vtuntur, vt nihil molestũ eis prælatus iniungat, sed cum eis tanquàm cum

æqua-

æqualibus verſetur,facileq. ac prōptè,quę poſtulantur,indulgeat. Rogo nunc quādo iſti obedientiam colunt ? Apud bonos Theologos rei monaſticæ peritos conſtitutum eſt, omnia hæc, quæ ab iſtis tàm ſedulò quæruntur, extra germanā obedientiā eſſe : nihil enim quo ad poſſunt, ſolo prælati iuſſu iniunctum, ſed præuia ipſorum diligentia ſibi adaptatum amplectuntur,ſtatimq. ac quippiam diuerſi generis imperatur , apertè verbis , aut nutibus , aut prætenſa mæſtitia diſſentiunt. Quando ergo obedientiā colunt? Profectò timendum eſt : & monachus quisq. ſi has culpas admittat, formidare debet, ne qui ſibi videtur ſapiens, in re omnium grauiſsima deſipiat.

Ratio decima . Veris monachis , obedientiam fidei opus eſſe ſcientibus,ſatis eſſe deberet exemplum Chriſti obedientis, vt ſine inſtructo tot rationū agmine flecterentur. Quod enim lapideum cor non moueat filius Dei vnigenitus , ſempiternusq.Deus creaturis ſuis obtemperans? Quis vnquam concepiſſet animo rem tàm longè ingenia mortalium ſuperantem,diuinam ſcilicet maieſtatem obediētiæ partes explentem? Credo equidem Beatiſsimam Virginem , eiusq. ſponſum Ioſeph identidem altiùs quā dici poſſit, obſtupuiſſe,dum æternum Dei Verbum eis ſubditum , obſequijsq. deditum cernerent. Si ergo filius Dei didicit (vt ait Apoſtolus) ex ijs,quæ paſſus eſt,obedientiam: quis vnquam Diſcalceatus Carmelita obedientiam , vel obediendi modos ſynceros , integros , inuiolatosq. reſpuere velit ?

Satis proceſſum eſt patres. Quis tendat vltra ?

Vt ad Filij Dei, vſque ad mortem obedientis ſcho lam ventum eſt, quis non ſuccumbat? Exemplum hoc lectiſsimũ orbis terrarum florem mundo eripuit, piamq. prædam in monaſteria tranſtulit. Vnus Achatius à Climaco relatus, obedientiæ cultor fidiſsimus è ſepulchro, in quo corpus exanime iacebat, reſpondit, sè mortuũ non eſſe; quomodò enim vir obediẽs interiret? Hoc oraculum reddidit vnus: at multi poſt eam ætatem tumulati ſunt, qui poſſent idem efferre, ſi diuinæ prouidentiæ ordo id exigeret. Exemplum quippe Chriſti fortiſsimos viros procreauit, qui peſſundatis mundi, carnis, ac ſanguinis legibus, nouo quodam chriſtianæ infantiæ candore, quicquid ſcientiæ, ac prudentiæ olim comparauerant, abdicantes, ſub auſteri prælati diſciplina mirabiles fecere progreſſus, qui dum ab hiſtoricis referuntur, velut è ſepulchris clamitant, & ſe mortem proculcaſſe perſuadent. Huc patres aſpirandum, & conſpirandum eſt. Cur enim non eò peruenire nitamur? An deſunt exempla? An non proponun tur certatoribus præmia? An res nõ honeſta, vtilis, delectabilis eſt, quam primaria mundi nobilitas cupidiſsimè arripuit? Porrò ſi iuſta trutina obedientiæ appẽderetur virtus, multi diuinæ glo riæ, communis boni, ſalutisq. propriæ ſtudio incenderentur, & ſanctitatis laude clarerent. Pauci tamen aliquot ętate hac rem dignè æſtimantes in cœtibus monaſticis gloriam adepti ſunt. An non animaduertens, quanta apud noſtros ſit obedientiæ laus? Noſtis certè ità æſtimari, vt qui obedientiæ laude præcellit, ad omne opus egregium cen-

censeatur idoneus, meritisq. maximis locuples existimetur. Nostis, nonnullos è nostris ante prælatum genua flectentes nec surgere iussos noctes integras in eo positu illustri sui victoria perdurasse. Nostis alios à prælatis repræhensos, & ad stabulum grauiter amandatos, ibi cum iumentis syncera obedientia à fide genita pernoctasse. Nostis, alios in media cæna vocatos, parcū, peneq. necessarium victum famelicos reliquisse. Nostis, alios eadē ferè hora, qua prælati iussio innotuit, insalutatis amicis ad regna longinqua migrasse. Nostis & alia, quæ multis in hoc genere penè miraculosa videntur. Hæc antiquæ Sanctorum obedientiæ æmulatio est. Hæc est nota militum fortissimorum, qui emissi voti memores, obedientiam exactè, promptè, strenuè per medios enses, & ignes exercere decreuerunt. His annumerari satagite, & quamlibet obedientiæ transgressionem, detortionem, interpretationem violentam, & quicquid tantæ virtutis integritatem deterit, velut scelus idololatriæ perhorrescite. Certate bonum certamen fidei, quæ fidelibus oculis piam caliginem offundit, & vitā æternā apprehendite.

Exhortatio ad votum Castitatis explendum. *Cap. VI.*

FOrtis est vt mors dilectio, patres, quos Clementissimus Deus è seculo euocauit, & in statum monasticū asseruit, vt curis omnibus alijs proculactis libero affectu, & à terrenis rebus exempto, in amoris diuini opus strenue incumbe-

retis. Dilectio, qua præuenti estis ab eo, qui vos è densis mundi tenebris eripuit, vt in statu hoc candidissimam cæli lucem aspiceretis, fortis est, vt mors. Vt enim mors res duas strictissimè cohærentes animam, videlicet, corpusq. seiungit; ità diuina charitas, vos arcto prius vinculo caducis rebus religatos auulsit, & pio diuortio secreuit. Quod diuinæ charitatis genus eò destinatum est, vt amore nullo peregrino capti cor integrum summo bono cõsecretis. Atque adeò cælesti consilio castitatis votum vobis inspiratum, & à vobis emissum est, quod ad eum scopum, quem sapientia diuina præfixit, erat appositissimum. Quemadmodum enim nihil est, quod à cælestium bonorum studio efficaciùs hominẽ auertat, quàm impurus creaturarum amor, ità nihil esse posse videtur ad amoris diuini studium opportunius, quàm castitatis votũ, quo & obscœnitas omnis, & licita quoque aliàs corporũ voluptas ictu vno præciditur. Felicem sanè statum hac de causa sortiti estis, quòd medio castimoniæ voto, diuina maiestas vos totos sibi reseruare, & strictum amoris fœdus vobiscum inire dignata est. Cui certè immenso beneficio, vt rependatis vicem, nuncupatum puritatis votũ superata quauis arduitate reddendum est, quod his rationibus astruitur.

Ratio prima. Finis instituti nostri potior est diuina contemplatio, illustris scilicèt diuinæ bonitatis, pulchritudinisq. notitia. Cùm ergo ex communi sanctorum sententia, tam castitas ad intellectus aciem, rerumq. diuinarum notitiam, quàm obscœnitas ad obtusionem, ac cæcitatem con-

conferat; omninò efficitur, vt castitatis cultus contemplationi intellectum mirificè adaptet, & à nobis eius votum exactissimè obseruandum sit.

Ratio secunda. Tam eximia est castimoniæ pulchritudo, & honestas, vt animus quilibet benè institutus eam diligere, ac exquirere debeat. Est enim virtus ingenua, decora, sordium expultrix, candida, splendida, angelica, & spirituali Christi thalamo digna. Quod non adeò arcanum est, vt omninò seculi sectatoribus celetur. Quin etiàm adeò compertum est, vt occuli nequeat populo christiano, cui vt libidinosa vitæ licentia turpissimè sordet, & quodam modò ferri nequit, ità castitas arridet, ipsosq. intemperantes suo splendore perstringit. Quid quòd infideles ipsi hominem castum demirantur, & diuinum quoddam sub candido eo amictu latere concipiunt? Si ergo tot ex capitibus castitatis pulchritudo consurgit, & impios animos forma capit, cur non & pios? cur non & eos, qui eius voto se obstrinxerunt ipsos?

Ratio tertia. Vix exprimi possit, quàm sit Beatiss. Virginis filijs consentanea castitas, & quàm foret horrendum impuritatis monstrũ in ea adoptione genitum. Quid enim tetrius, & detestabilius Virginis filijs castitatis insigne quasi gentilitium candida veste gerentibus, quàm obscœnitas, cuius vel solum nomen animus audire horret? Si ergo tantæ parentis adoptio placet, omnis impuritas, quantumuis modica, validiùs, quàm corporis mors refugi sanè debebit.

Ratio quarta. Suppetit ratio alia à B. V. Teresia fundatrice nostra, cuius eximiæ puritati, &

ſublimiſsima contemplatio de qua ſcripſit, & corporis integritas, incorruptiouè mira fidē aſtruit. Quomodò autem ad eius familiam pertinere dicatur, cui omnis impuritas exoſa non eſt, & qui caſtimonię pulchritudine captus non malit mori, quàm fœdari?

Ratio quinta. Chriſtus amore ſingulari proſequitur fidos caſtitatis cultores, vt liquet è Sancto Ioanne Euangeliſta, quem caſtitatis prærogatiua ampliore dilectione fecit dignum, ex multis puriſſimarum Virginum millibus, quæ in hac etiam mortali vita ſubtiliſsima cæli gaudia è Chriſti fonte hauſta in ſignum fœderis delibarent. Qui ergo à Chriſto impensè diligi, & puræ voluptatis illapſu gaudere cupit, prudentiſsimo certè conſilio ad tanti boni lucrum vtetur, ſi caſtitatis amore capiatur.

Ratio ſexta. Prætexitur labor, qui ad corpus caſtigandum, & motus effrænes compeſcendos, ſubeundus eſt. Cæterùm ſi caſtitas res honeſtiſsima, & pulcherrima eſt, cur labor obtēditur? Quid enim boni ſine labore paratur? Turpitèr ergo labor obijcitur, prȩſertim cùm maior multò exhauriatur labor pro caducis rebus, quæ tantæ virtutis dignitatem æquare nequeunt. Quinetiàm nuptiæ ipſæ ab intemperantibus tantoperè expetitę duriores pariunt labores, quàm certamen caſtitatis, cuius conſcientia animum exhilarat.

Ratio ſeptima. Concipiamus animo homines duos, alterum intemperantem, qui expleta libidine in adoleſcentia ipſa, corpus effœtum prȩmatura ſenectute, tabe, & diris doloribus conficit,

tarta-

tartariq. tormenta præsentit, quod creberrimè accidere nimis notum est; alterum castum, qui animum à culpa, corpus à corruptela præseruat, & duram disciplinam in bonæ spei argumentum vertit. Vter è duobus vobis probatur? Cuius sortem appellatis felicem? Res profectò perspecta est. Quis ergo castitatis honestatem non affectet?

Ratio octaua. Mercedem, quæ corporis domitoribus in cælo reposita est, oculus non vidit, nec auris audiuit, clarissima quippè castitatis victoria est, sæuissimo de hoste relata. Quapropter vel ipsa certaminis magnitudo animum erigere deberet, proposito amplissimo præmio, mensura scilicet illa Euangelica, bona conferta, coagitata, quam fatigati animi sinus excipiet. Si ergo præmij cumulandi, in certamine castitatis fœcunda occurrit occasio; quis eam detrectet ex ijs, qui ad cænobiticam palæstram accesserunt?

Ratio nona. Multa fortissimorum militũ agmina pro castitatis decore in monasterijs, in eremis, in antris decertarunt, & maluerunt omni mundi solatio carere, corpusq. vigilijs, inedia, frigoris, calorisq. patientia, cilicijs, verberibus penè conficere, quam florem candidissimũ castitatis amittere. Alij etiam à licitis nuptijs iam contractis prudentissimo consilio abstinuerunt, ne affectu minus libero in æterna gaudia suspirarent. Quis ergo è nostris statu, quem profitetur dignus sit, nisi pro voto castitatis obseruando dura quæq. sustineat?

Ratio decima. Si rogem vos, quò feratur iugis labor disciplinæ monasticæ, quem fertis, oratio quo-

quotidiana, Dei præsentia, aliaq. instituti nostri capita, respondebitis eò tendere, vt ineatur vnio spiritus,qui in Christi amplexu quiescat. Hæc videlicet quies finis vestri laboris est. Hæc modò prægustatur fausto quodã præsagio,quæ, vti speramus, in patria cælesti demùm perficietur. Cùm ergo castus animus ad vnionem sponsi,qui pascitur inter lilia, facilè admittatur, quid cogitatis, si castimoniç candorem nõ auidissimè exquiritis?

Longo satis rationum contextu patuit, patres, quàm sit è re nostra formosissimũ castitatis splen dorem summo prosequi amore nihilq. arduum ea de causa formidare. Quid nunc attexam? Quid loquar? An existimatis vos satis generose dimicasse, si vsitato modo castitatem colere pergatis? Benè quidem est,quòd oculos reprimatis, ne elegantem corporum formam aspiciant. Benè est, quòd parco victu,duro lecto, somno interciso,varioq. labore corpus eneruetis. At vbi est antiqua laus eorum, qui acerrimo prælio tentati florem intemeratum seruauere? Vbi fortitudo Susannç, quæ maluit neci tradi, quàm senibus impudicè suadentibus assentiri? Vbi fortitudo martyris illius, qui in lecto molli cubare coactus, immisso scorto linguæ partem dentibus præcisam in faciem expuit? An putatis vos inter prætoriæ cohortis milites à Christo recensendos, quòd intra claustra latentes occasionibus submotis, corpori propriò imperetis? Porrò ad clariores victorias aspirandum est; Vt animo comparati sitis,ad san guinem in quauis occasione fundendum, pro castitate tuenda, Propositum quippè pium, quod nul-

nulla commendat experientia, etsi laudi ascribitur, non tamen laudi primæ, quæ Virginis filios omnino decet.

Si autèm communes victorias ad laudem primam non pertingere decernimus; quid de lentis militibus dicemus? Spero equidem, Dei munere, sub candida Virginis veste, neminem reperiri, qui candide non agat. Verùm non ideò virtus absoluta est. Qui enim è nostris turpia, quæq. horret, sed ea, quæ tutiora, purioraq. sunt non auidè sectatur, diuinis beneficijs parùm gratus, statuq. suo parùm dignus est.

Ne ergo parcatis equo fallaci: frænum asperius in os inducite, & calcar adstringite, ne vos præcipites agat. Ne vos frangat importunus insultus: validè illum repellite, & pro virtutis decore pugnate. Oculorum, linguæq. licentiam coercete, primosq. internos motus recentèr excitatos, velut draconis capita præcidite. Omnia sub sole transeunt, vexatioq. vestra transibit. Nunc per confragosa loca, & prerupta saxa iter facitis, propter verba labiorum sponsi custodientes vias duras. sed postquàm viam emensi fueritis apparebit amœnissima regio viuorum immortali virore læta, & vitali fructu fœcunda. Ibi famelicus animus dulcissimo pastu saturabitur, & sitis omnis purissimi potu fontis explebitur. Hęc, patres, animo concipite, hæc identidem recolite, & per mortalitatis labores, & ærumnas, ad Ciuitatis Dei requiem, & vbertatem, sine defectione contendite.

Exhor-

Exhortatio ad paupertatis votum explendum. Cap. VII.

QVi per arduam salutis viam, proculcatis mundi legibus, progredi decreuerunt, facilè animaduertunt, se diuitijs oneratos iter illud, quod agilitatem multam, expeditionemq. requirit, non posse, qua cupiunt, celeritate conficere. Quapropter à temporalium bonorum abdicatione perfectionis iter inchoant, perantiquo ecclesiæ nascentis vsu, & succedenti per omnes ætates multiplici sanctorum exemplo. Hisce nos vestigijs insistimus, patres, postquam cupiditatis vela contraximus, & apostolicam vitam ducere constituimus. Vt verò arrepti propositi amor altiùs imprimatur & voti paupertatis obseruatio procurrat exactiùs, quanti fieri debeat monastica inopia, ex rationibus hisce perpendite.

Prima ratio. Eo ipso, quod temporalia bona respuistis, molestissimam quoque reiecistis solicitudinem, quæ velut stimulus animo infixus opum possessores infestat. Ea quippè est vitæ præsentis conditio, vt vel modicum aurum sollicitudinem generet multam, & requiem omnem depellat. Quantò ergò vobis commodior est inopia nostra tranquillè suscepta, quàm opulentia seculi solicitudine anxia?

Secunda ratio. Vbi opes congeruntur, litium sparguntur semina, quibus apud grauia tribunalia æquales, aut maiores plerumq. fiunt expensæ, quàm sit victoriæ lucrum. Ex quo efficitur, vt qui

ampla-

amplarum diuitiarum hęredes instituuntur,peius interdum vexentur,quàm si inopia premerentur. Quantò ergo preciosior est pax nostra,quam litigiosæ diuitiæ? Rem considerate, & statum vestrum æstimare pertendite.

Ratio tertia. Quò quis in seculo ditior est, eo plures osores,& insidiatores patitur,qui ei vitam adimere,prædam, diripere vellent. At quò monachus pauperior est,eò plures habet amicos ad largitionem pronos, & misericordes, quod experimentis quotidianis didicistis. Quis ergo paupertatem apostolicã mundi opulentiæ non præferat?

Ratio quarta. Perpauci diuites inueniuntur, qui opes iuxta sanctorum doctrinam impendant, sed alij in auaram retentionem, alij in prodigalitatem degenerant, quod nimis vulgatum est. Experientia ergo conuincit,diuitias in vitiorum fomenta frequẽter verti. Quantò ergo felicior sors vestra est,qui actu vno diuitias mũdi omnes contempsistis,vt vitiorũ materiam procul pelleretis?

Ratio quinta. Philosophi multi naturalis scientiæ amore capti, opes aspernati sunt, rati cum philosophiæ studio diuitias non posse connecti. Quomodò ergò cum diuinæ sapiẽtiæ studio conciliẽtur? Quantò est vtilius,& delectabilius scientiæ sanctorum, quam auri conseruationi,& incremento studere? Quis ità desipiat, vt libertatem filiorum Dei è rerum fluxarum contemptione ortam ad animum in cælestia bona subleuandum non magni faciat?

Ratio sexta. E seculi decliuio in excelsam status monastici regionem ascendimus,vt tanquàm

è pro-

è propinquiore loco, in cælum semper aspiraremus. Certis autem experimentis nouimus inopiam ipsam esse veluti stimulum quendam, quo veri pauperes excitantur ad res necessarias è cælo requirendas, quæ in terris desiderantur. Præclarè ergo nobiscum agitur, vbi res quoque necessariæ deesse videntur, vt paupertatis apostolicæ experientia excitati à clementissimo patre, panem fidentiùs posculemus.

Ratio septima. Exploratum est, hanc plane felicem sortem manachis contigisse, vt pro ijs, à quibus eis in seculo victus, & vestitus prouidebatur, successerit fidissimus prouisor Deus, cuius promptuaria sterilia esse non possunt. Quanto ergo securior est nobis diuina prouidentia, quàm secularibus humana: præsertim cum diuites egeant, & esuriant, inquirentes autem Dominum non deficiant omni bono?

Ratio octaua. Experientia nobis notum est, ingenuos plerosq. qui in paternis ædibus opipare vescebantur, ac pretiosè induebãtur, rudi victui, ac vestitui nostro assuetos saniores, & validiores euasisse, vt paupertas apostolica animi, corporisq. vires roborasse videatur. Quis ergo huiusmodi inopiam non expetat, & spem in Deo firmissime non collocet?

Ratio nona, Recenseri nequeunt innummera apostolicorum agmina pauperum, qui reliquerunt omnia, vt modico pretio regnum cælorum compararent, quos Christus robusta spe æternæ hæreditatis erexit, ne inter inopiæ labores conciderent. Omninò autem compertum est, optabilius

bilius esse, ad spem tantam cum Christi laude coniunctam promoueri, quã vniuersi mundi opibus,& honoribus affluere. Huc,& vos pertinetis.

Ratio decima. Vnigeniti filij Dei vox est illa, quæ pectora saxis duriora mulceret:

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Matt. 8.

Vox hæc filij Dei, qui cum esset diues, egenus propter nos factus est, vt illius inopia nos diuites essemus, deberet monachum summa afficere lætitia, ob similitudinem sui redemptoris, quam gerit. Membra quippè capiti congruentia, post exantlatos labores in capitis consortium proculdubio accersenda sunt, vt inopia breuis opulentia æterna repensetur.

Quò iam procurrat oratio? Quid à monachis se Christum sequi profitentibus rationes allatæ non obtineant? Quis nõ diuitijs regum inopiam nostram anteponat? Profectò cordi callum obduxit, qui paupertate apostolica minimè gloriatur, qui commodum lectum, cellam, & id genus alia captat, qui laceras vestes, rudemq. victum horret, qui labores paupertatis comites detrectat. Cùm enim honestissima inopia hæc tam sit ad regnum cælorum parandum apposita, eoq. regno potiri nolle, extremæ insaniæ genus sit; necessario dicendum videtur, monachos paupertatis osores, aut infidos obseruatores obduruisse, quippè qui ad opus tam sibi salutare, ac honorificum ægre inducantur, aut etiam obsistant. Qui eò peiores euadunt, quò commoditates, quas in claustris exquirere possunt, minores, ac viliores sunt.

sunt. Quid enim abiectius quàm monachum, qui amplum despexit patrimonium, post eam insignem mundi victoriam, ità degenerare, vt affectùm, quem millenis aureis annuorum redituum in seculo affixisset, rudi vestimento, aut lecto addicat, neque minùs rei tam despicabilis priuatione in cœnobio mœreat, quam redituum illorum iactura in seculo doluisset? Hæc est Aegypti seruitus, à qua Dei munere redempti estis, cælesti libertate fruituri. Quid ergò cogitatis? Cùr non pergitis aspernari, quæ primo vocationis orsu despexistis? Sanè, qui inter nostros, monastica perfectione præstiterunt, obsoletas vestes nouis, panem duriorem recenti, cellam incommodam commodæ præferre consueuerunt, cuius rei nos testes oculati sumus. Quin etiam vbi panis necessarius consueta prandij hora defuit, mirum est, quanta cum lætitia, & gratulatione, voti paupertatis exercitium exceperint. Hæc primæuæ sanctitatis æmulatio est, vbi non modò sine murmure, aut querimonijs, sed intimo cum gaudio penuria sustinetur.

Quid iam de accurata obseruatione illa rerum ad vsum concessarum attexam? Mos enim inter nostros inualuit, vt libros, operimenta lecti, & quicquid à prælatis prouidetur, ità demum accipiant, & tractent, vti deposita mox repetenda vsurpari solent, ne quid attritum, sordidum, aut alio modo violatum appareat, quo monachi alij sine horrore vti non valeant. Quo quidem in vsu ità paupertati studetur, rerũ integritate, ac munditia seruata, vt charitas ergà alios ijsdem rebus

vsuros

vſuros eximiè colatur. Quid denique de ijs ſubijciam, qui iter facturi pecuniam ſponte oblatam reijciunt, vt panem emendicare, & raro ſaltem & voti exercitio conſcientiam explendi promiſſi cupidam ſedare queant? Hæc, plurimaq. alia ex fida voti obſeruatione profecta ijs è noſtris, quos ſine exceptione laudamus, noſtis eſſe familiaria.

Ne ſinatis occaſiones elabi, & de voti cuſtodia ſolo propoſito concepta ne vobis blandiamini: ſi neceſſaria ſuppetunt, & vbi deſunt, mœſtitia ſubit, qualis, rogo, voti cuſtodia eſt? Abſit à noſtris perfidia hæc: mentis cæcitas abſit. Libertatem ingenuam ne cum turpi ſeruitute commutetis. Reddite Deo votum, quod nuncupaſtis, & apoſtolica inopia opes æternas comparate.

TEXTVS TERTIVS.

De receptione locorum.

LOca autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint, ad veſtræ religionis obſeruantiam apta, & commoda, ſecundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

Obſeruatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt ad exhortationes ſolitas.

QVod ad exhortandos monachos attinet, erga hunc textum diſſeri poteſt de bono cœnobiorum, quæ ad noſtram diſciplinam apta & commoda extruuntur. Poſſet etiam agi de varietate cœnebiorum, quorum alia in eremis, alia

propè vrbes conduntur ad instituti nostri distinctas partes explendas, quibus satisfieri sine ea varietate non posset.

Exhortatio de bono cœnobiorum, quæ ad nostram disciplinam apta, & commoda extruuntur. Cap. VIII.

Siue de cœnobijs eremiticis, siue de alijs propè vrbes constructis sermo fiat, non absq. cæcitatis, vel ingrati animi nota ædificij consideratio præteriretur. Est quippè mirum, & sanè magnum diuinæ prouidentiæ opus, in nostram commoditatem, & solatium perantiquo vsu destinatum. Et quidem si mūdi principū solicitudinem ad extruendas ædes amplissimas intentam admiramur, æquum omninò est, vt diuinæ maiestatis curam ad ædificanda nobis domicilia impensam demiremur, & in tanti patris prouidentiam nos, nostraq. omnia referamus. Quod vt à nobis rectiùs fiat, rationes hæ animo imprimendæ sunt.

Ratio prima. Si monachus quisque in seculo fuisset locupletissimus, non valuisset certe domū sibi tanto sumptu ad quemcumque humanæ vitæ finem extruere, quanto Deus clementissimus ei domum ædificauit. Quis enim, nisi regem aliquem, aut ditissimum principem excipiamus, tantam pecuniæ vim contraheret, ac insumeret, quanta in singulis ferè monasterijs diuina prouidentia ad fabricam congesta est. Hoc ergo beneficium, nisi quisque sibi vti proprium adaptet, cæcus, ac plane ingratus est.

Ratio

Ratio secunda. Licet quisque nostrûm princeps in seculo fuisset, tantam molem nusquam sine innumeris molestijs, & iurgijs conderet. Et tamen cernitis, ædificia nostra, sine vlla molestia, sine vlla contentione inchoari, & absolui, cum crebra, & propemodum quotidiana diuinæ largitatis experientia. Profectò totum hoc vestri gratia fit, neque sine nota reticeri potest.

Ratio tertia. Siuè fabricæ firmitas, siue forma, siue commoditas spectetur, certum est, quæ in seculo reliquistis, cum ijs, quibus sine labore fruimini, non posse conferri. Rogo enim quis in seculo domum tot cubiculis discretã, & ad pluuias arcendas, æstumq. auertendum tam opportunam nancisceretur? Nec rationis huius vis eneruatur, quod quisq. nostrum non omnes claustri partes peculiari suæ commoditati vendicet: neque enim seculares vulgo id efficere possunt: prçterquam quòd quoties opus est, non materialis ædificij modò, sed spiritualis quoque partes, cuiusq. vestrûm obsequio subijciuntur. Animaduertite ergo quam paternam vestri curam Deus in hoc genere gesserit.

Ratio quarta. Opulentissimi principes in vrbe natali, vel alibi pro libitu vnum alterumuè palatium construunt. Vos verò multo plures domos varijs in regnis habetis, quas fidentius petere, incolereq. potestis, quam illi suas: tam stricto quippè, ac tam integro iure vobis, quàm ijs, qui eleemosynas ad fabricam emendicarunt, domus illæ debentur, quoties prælatorum iussu hinc illuc migratis. Dicite ergo, quæ nam regum morta-

lium erga hæredes suos prouidentia cum hac diuina, quam erga nos perspicitis, comparetur?
Ratio quinta. Non solum Clemētissimus Deus domos amplas, multasq. prouidit: sed famulitio, & omni necessario apparatu instruxit, quod ex hoc discrimine palam euincitur. Potentissimus quisq. rex ex vrbe regia egressus in oppido sui ipsius regni finitimo, ac exiguo emit panem, & pretium diuersorij soluit. Vos verò in cœnobium nostræ Congregationis diuertitis tam fidenter, ac in paternas ædes, & non gratis tantum, sed cum insigni amoris ostensione, pro necessitatis modo, lectò, ac mensa recreamini, quin & viaticum accipitis. Quid quòd sine vllo differentiæ vestigio antiquiores minùs antiquis, doctiores, & nobiliores non ita doctis, & nobilibus alacriter ministrant? Profectò nulli mundi totius principi obsequia talia in palatijs magnificentissimis redduntur. Contemplamini nunc, quàm liberaliter tractemini.
Ratio sexta. Quamuis Domus Dei, quod ad corpus spectat, incommoda semper foret, vt in locis recenter acceptis ad tempus esse solet, inter summa ipsius Dei beneficia eius inhabitatio poni deberet, tametsi quis postremis obsequijs destinaretur. Quantò ergo cumulatius beneficiū est, non inhabitare tantùm sed tot bonis ibi sine discrimine frui, quibus locupletes etiam mundi domus proculdubiò carent?
Ratio septima. Nulla domus instructior, quàm quæ periculis repentè natis, præsenti remedio statim succurrit: nulla securior, quàm cui minus

inuidetur, & quæ ita munita est, vt fures formidine depellat. Omninò autem certum est, monasteria, vbi multi Christiana pace fœderati commorantur, eiusmodi esse, cũ ibi interdiù, noctuq. ad omnium commune, & cuiusq. priuatum bonum omnes concorditèr accurrant: quod tum in alijs euentibus, tum in mortis discrimine summi solatij genus est. Iudicate ergo quam benè misericors Deus domos nostras instruxerit, atque munierit.

Ratio octaua. Cœnobia monachorum habent tutelares sanctos, quorum patrocinio perstant integra, ea præsertim, quæ Beatiss. Virginis titulo decorantur. Quæ nam ergo regũ palatia cum ijs conferantur quamuis tormentis muralibus, & excubijs accurate dispositis se muniri iactent.

Ratio nona. Magni sanè solatij genus est sub eodem tecto in concilio iustorum, & congregatione morari. Quid enim non sperandum, quando Clementissimus Deus Sodomorum, & Gomorrhæorum multitudini enormibus peccatis fœdatæ, Abraham intercedente, veniam pollicetur, si decem iustos reperiat? An qui innumeris peccatoribus parceret ob iustos paucos, non ignoscet monacho vni ob cœtum iustorum in preces incumbentium, si forte pro humana fragilitate peccarit? Nescit mundus æstimare, quàm sit ad animos roborandos efficax iustorum sub vno tecto societas.

Ratio decima. Superest summum planè cœnobiorum bonum à paucis (vt par esset) expensum. Quod vt digne ponderetur, ponendum est, eccle-

sias cœnobijs contiguas, potissimam ædificij partem esse, quæ cuique monacho, velut domus propria, & satis ampla est, cùm è claustro ad eam pateat semper ianua, ibiq. actus ecclesiastici ab omnibus rite celebrentur; Rogo nunc, Nonne ibi Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, & sub eisdem tectis Christus vobiscum habitat? Videtur ne vobis habitatio hæc ad cœnobiorum dignitatem; vestrumq. solatium parùm attinere? Incredibilis profectò mentis hebetudo, cordisq. duritia foret, si rem hanc planè grandem non maximi penderetis. Vtinam diuinæ maiestatis dignationi iustum gratitudinis tributum redderetur.

Ex ijs, quæ prompsimus facilè cognoscetis, quid sub illis regulæ verbis, loca ad vestrę religionis obseruantiã apta, & commoda, lateat. Perspexistis quippè, quanta sit aptitudo, quanta commoditas in cœnobijs nostris ad vitam tranquillè ducendam, & ad animum non modò veris virtutibus excolendum, sed etiam recreandum, ac roborandum, quod diuinę bonitati acceptum ferendum est. Nunc ergo si tanta ad omne opus disciplinę monasticę commoditas suppetit; quid censeretis, si quis vestrum illa abuteretur, & vbi sanctior facilè posset euadere, fieret spontè deterior? Cœnobiorum aptitudo, lapidesq. ipsi, quibus constant, clamitare, & christianam perfectionem à nobis stricto iure videntur exigere: quid igitur, si quis Dei immemor, nihilò melior in claustro sanctimoniæ feraci fieret, quàm si in profano loco versaretur? An putatis, impunè laturum eum, à quo loca sancta polluuntur? Obseruate, quid

alijs

alijs religionibus contigerit, quarum cœnobia deserta, & templa in stabula conuersa cernuntur, hac ipsa ætate, quæ mœstissimorum prodigiorum spectatrix effecta est. Floruerunt olim loca illa, quæ viridaria ad Christi delicias culta videbantur: sed monachi degeneres aptitudine, & commoditate illa abuti cœperunt, perrexeruntq. donec ira Dei efferbuit, sedibusq. antiquis legum violatores depulit. Contigit eiusmodi locis, quod olim Sion, de qua Ieremias Thren. 2. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suę: tradidit in manus inimici muros turrium eius.

Hæc Propheta, ad cuius sensum sacra monasteria profanè violata lugeri possent. Quapropter cauẽdum est, ne quis nostrum iram Dei prouocet, & quod ad se attinet, fabricam demoliatur, quam sustinere deberet. Nulla funestior in clade Ierosolymitana calamitas fuit, quam loci Deo consecrati pollutio, & subsequuta deuastatio; neque vlla luctuosior in ordinibus monasticis excogitare posse videtur, quàm vbi monasteria, quæ à Sanctis condita, & inhabitata fuere, ab irato Deo reijciuntur. Sanctè ergo sancta tractate, & commodam parandæ perfectionis occasionem adepti, ne otio torpeatis. Expendite dignitatem loci sacri, multis prerogatiuis exornati, vos qui statis in domo Domini, in atrijs domus Domini nostri. Exhibete vos loco dignos, & cælestis Ierusalem imaginem referte. Ne committite, vt indecorum quippiam deprehendatur, quod Dei domum dedeceat: sed cælestes angelorum choros apta communium actuum proportione, miti ani-

mo, & modestissimo corporis habitu æmulamini. Hic cœnobiorum nostrorum cultus sit; qui æterna mercede repensabitur.

Exhortatio de varietate cœnobiorum in quæ monachi distribuuntur. Cap. IX.

DIuinam profectò sapientiam decuit, patres, in hac noua Carmeli instauratione, ita cœnobia institui, atque discerni, vt amplo B. Teresię fundatricis nostrę proposito cógruerent, ne quid desideraretur ad bonum, quod animo cóceperat, exequendum. Quocircà consilio cælitus inspirato, à maioribus nostris quaterna, aut quina cœnobiorum genera, iuxta sensum verborum regulæ, quæ nunc lecta sunt, distincta nouimus, alia solitudini, alia tyronum educationi, alia studijs, alia professorum profectui, alia missionibus destinata, ex quibus varia quædam vestis velut opere plumarij elaborata contexitur, quæ Congregationem nostram exornat. Vestem hanc magnifacere, & pro captu quisq. suo tueri debet, ne laceretur, vel inquinetur, quod diuinæ maiestatis gloria, & ipsius Congregationis dignitas excelsa requirit. Quia vero nullus vestem lacerandi modus expeditior est, quàm si quis præscriptum sibi in vnoquoque cœnobio ordinem inuertere, aut sine prælati concessu ex alijs in alia migrare contendat; rationes proferam minimè contemnendas, quibus, quoad potero, expendam, quàm sit expediens, monachum quemq. in loco sibi assignato permanere, nec iniussu prælati

lati mutationem vllam attentare.

Ratio prima. Congregatio nostra diuino munere dispofita est, velut castrorum acies ordinata, prælatis oculatissime obseruantibus quem vnicuique cœnobio assignent, quam functionem cuique demandent. Quando ergo monachus, sine causa coram Deo efficaci, prælatum vrget, vt locum, functionemuè mutet, nihil agit aliud, quàm si miles decretam sibi stationem absque causa desereret, & exercitus, vel agminis ordinem confunderet. Rationis vis seipsam luculentiùs prodet, si qui eo modo, se tentari finit, fingat quid mali succresceret, si alij eiusmodi fragilitati succumberent. Exploratum est quippè, si id crebrò accideret, omne Congregationis bonum monachis variè dispersis, interiturum. Si ergo in alijs id minimè probandum est, quid de seipso, qui non est alijs iustior, respondebit?

Ratio secunda. Mutationis cupiditas oriri passim solet ex fuga mortificationis, qua passiones non dum domitæ excitantur. Cum ergo, qui eiusmodi est, passiones secum ferat, cæcus est, si non apertè perspiciat, nō loci, sed animi mutationem ab eo querendam esse, si conquiescere velit.

Ratio tertia. Prætexunt aliqui, in alijs cœnobijs non esse exercitia prorsus similia, non parem secularium frequentiam, maiores virtutis parandæ occasiones. Ceterùm ij, qui disciplinæ monasticæ benè consulti sunt, huiusmodi prætextus fal laces iudicabunt, cum frequenti experimento pateat, eos, qui hæc excusant, ex inconstantia potius, & impatientia, quàm ex amore virtutis mu

tatio-

tationem optare. Licèt autem vera essent, quæ proponunt, quandiù ex obedientiæ præscripto in loco vno morantur, certò sciunt, se iuxta Dei voluntatem, ibi manere, incertum autem est, an iuxta Dei placitum, de mutatione cogitent. Cur ergo incerta certis præferre velint?

Ratio quarta. Quandiù monachus prælati iussu vni ascribitur cœnobio, non exigit Deus ab eo alia exercitia perfectiora, quàm quæ ibi frequentantur, certumq. est, cuiusvis cœnobij exercitia ea esse, quibus christiana perfectio possit acquiri. Si ergo ea sufficiunt, & Deus à monacho non alia exigit, quid ipse causatur, vt cælum mutet?

Ratio quinta. Prætexit prælati asperitatem, vel id genus alia. Verùm quomodò nouit prælatum, cui subesse cupit, mitiorem sibi fore? Manifesta dęmonis impostura est, quam multi serò deprehendunt. Notum est quippè, monachos in hoc genere fragilės, velut extorta ad transmigrãdum licentia vsos, duriores incurrisse in pręlatos, quos planè suaues sibi fore leuiter coniectauerant. Quod ęquo Dei iudicio accidere, sapientum consensio est, in pœnam culpæ, quam commiserant, dum diuinæ voluntati in decreto sibi monasterio perseueranter parere detrectabant.

Ratio sexta. Si mutationis cupiditas ad conscientiæ sensum examinetur, ex multis patebit euentibus, monachos cœnobia in varia inhiantes perpetuum sibi creare remorsum, quo iugiter vellicentur. Qui enim prælatum molestia afficit, donec mutationem impetret, iam indè nouit, se Dei voluntatem quasi violento motu pertrahere velle,

velle, vt proprio sensui adaptetur. Mox quicquid mali in locis, ad quæ migrat, accidit, in grauiorem vertitur desolationem, cõscientia scilicèt infesta quæ dictat, illum non in eas angustias à Deo inductum, sed propria voluntate præcipitatum, ac propterèa non illa Dei auxilia ad animum deiectum erigendum recepturum, quæ in loco diuinitùs electo consistens è cælo reciperet. Qui inconstantiæ morbo laborant, hanc veritatem, vel coacti asserunt.

Ratio septima. Religiosi per itinera parùm necessaria vagantes magnam internorum affectuum iacturam faciunt, ægreq. postea ad se redeunt. Quomodò ergo, qui rerum spiritualium curam gerit, induci potest ad loca longè dissita petenda, vel optanda? Qui à prælato communis boni gratia missi iter faciunt, vix ea damna vitant; quid ergo, qui licentiam extorquent?

Ratio octaua. Qui inter nostros verarum virtutum laude præcellunt, horrent eiusmodi itinera postulata, & verentur, ne à Deo deserantur, si ipsi loca assignata deserere velint. Bonorum ergo mos argumentum est, ad alios diuersè opinantes ex hoc capite minimè laudandos.

Ratio nona. Ex quo, quis cæpit leuibus ex caussis cœnobia mutare, spiritu quodam vertiginis correptus intra paucos menses pro nouis mutationibus prælatum torquet, vt satis vulgatum est; ex quo bonum suum nomen obscurat, & aliorum irrisioni se ipsum exponit. Quanto ergo salubrius est, mutationis appetentiã recẽter ortam coercere, quã permittere, vt nouo pastu vires acquirat?

Ratio decima. Vbique pro regno Dei mala sustinenda sunt. Ibi autem fructuosius toleratur, vbi Deus liberalius fauet. & vbi conscientia suggerit, hominem non quærere, quæ sua sunt, quod exploratum est, felicius succedere, vbi quis ex prælati arbitrio moratur. Prudentius ergo consilium est, vt sinamus nos obedientiæ ductu regi, & locorum delectum tanquam disciplinæ nostræ partem prælatis Dei vicem gerẽtibus deferamus.

Rationes depromptæ id efficiunt apud monachos verarum virtutum cupidos, vt vel cum iustæ causę suppetunt, à prælatis mutationem loci postulare non audeant, sed rei iudicium eis deferant, causa vt plurimum syncere proposita. Audaciæ quippè genus eis videtur, quicquam flagitare ob allatarum rationum pondus, quod conscientia ferre recusat. Quod enim solatium (aiunt illi) nobis accidere possit, si non simplici obedientiæ ductu, sed importunis postulatis aliò migremus, ibique acres tentationes, grauesq; molestiæ ingruant? Qua fronte Deum precabimur, vt auertat mala, quæ aduersus legitimum synceræ obedientiæ vsum nos ipsi quæsiuimus? Mala sponte quæsita formidant, & præcauent, qui Dei ductum æstimare norunt, cum tamen pęnis à Deo illatis humeros generose supponant. Alij vero, qui modicum lumen nacti sunt, crasso quodam ratiocinandi genere permoti satis iusti sibi viden tur, si quæ apertum peccati inscriptum pręferunt, declinent; loci vero mutationem, & sexcenta alia, quæ eam turpitudinem non ostentant, passim expetunt, & efflagitant. Cęterum à fructibus

corum

eorum cognoſcetis eos: cùm enim interna leuiter curent, in exteriora ſe totos effundunt. Ne vos horum contagio infici patiamini, ſed maturę mentis, inuictæ patientiæ, & virilis conſtantiæ ſigna præferte.

Monachi diuinæ voluntatis explendæ, perfectionisq. parandę cupidi, dum diſtincta cœnobia mente perluſtrant, debent ſecum ita paciſci: Deus hæc loca diſcreuit, non ſecus, ac dum conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael, quando diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Si ergo Deus lineam duxit, ſi loca ipſa menſus eſt, ſi diſtinxit: partes noſtræ ſunt, diuino conſilio acquieſcere, nec extra metam nobis præfixam conſilio humano recedere. Hæc ſi præſtiteritis, non dubium, quin in ſorte quiſque ſua cōſiſtens maiora Dei beneficia recepturus, auctiora merita cumulaturus ſit. Hinc etiam exiſtet firmior, & permanētior pax, animo nihil terrenū ad ſolatia captanda experiri, ſed in æterna bona ſuſpirare nitente. Nullam ergo mutationem meditamini, niſi illā, qua è calamitoſo exilio in dulciſſimam patriam, in Ciuitatem videlicèt Dei, peracto mortis agone, tranferendi eſtis. Hæc bene percipite, & in ſupernam Ieruſalem, per arctam viam, obedientiæ ductu contendite.

Deut. 32. Pſ. 77.

TEXTVS QVARTVS.

De Cellis Fratrum.

PRæterea iuxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrum ſingulas

habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuiq; fuerint assignatæ.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu duci possunt, ad exhortationes solitas.

POsset differi de bono cellæ separatę. Deindè agi posset de instructione cellæ. Singula persequamur.

Exhortatio de bono Cellæ separatæ. Cap. X.

CEllarum discretio, vti res planè grauis, & ad monasticę disciplinæ fructũ peropportuna, hoc textu præscribi debuit. Etsi verò discretio hæc maior olìm fuerit, & celebrior, quàm ætate hac, modò tamèn ad antiquitatis imitationem, in locis eremiticis cellæ per interualla extruuntur, & in cœnobijs, vbi solo discernuntur pariete medio, ea disciplina in hoc genere obseruatur, quæ ab eremitica non longè recedit. Quapropter doctrina de bono cellæ separatæ communis erit, quæ pro separationis diuersitate pondus habebit.

Primùm ergo, cælesti cõsilio factum credimus, vt separatio præciperetur, ob immensum bonum, quod inde prouenire certis experimentis deprehendimus. Et quidem, quod ad diuinæ maiestatis cultum attinet, benè conijciunt, qui sentiunt, cellas in claustri structura discretas à monachis in-

habi-

habitatas referre mirabile illud fauorum opificium architectonicè in cellas diuisum, & suauissimi liquore saporis oppletum, quo ita Clementissimus Deus delectari videtur, ac opera apum alueorum curator, cui totum destinatur mellificium. Quòd verò ad monachum quemq. spectat, vix exprimi posset, cella separata quàm sit bonorum ferax. quod è subiectis rationibus censete.

Ratio prima. Vulgatum est illud, quod iam in prouerbium versum est. (Pax in cella) Cùm ergò creaturæ vniuersæ pacem inquirant, & Deus monacho modum pacis inueniendæ in assignata sibi cella clementer ostenderit, errabit ille profectò, si cellæ bono frui detrectauerit.

Ratio secunda. Monachi perfectionis auidi experientia conuicti fatentur, se extra cellam, alios esse ab ijs, qui intra cellam sunt, culpasq. multas recessu illo se vitare animaduertunt: atque adeò quàm citò possunt, à negotijs se ipsos expediunt, vt ad cellam, tanquàm columbæ, in sua receptacula redeant. Quid ergo de minùs perfectis censebimus, quibus crebrior, & facilior lapsus, rarior, & tardior resipiscentia est; Quantò citiùs hi ad cellam se recipere deberent?

Ratio tertia. Fructus, qui ex recessu prouenit, multiplex est, si exercitia spiritualia, quibus more nostro vacandum est, contemplemur, Cuiusmodi est oratio, pia lectio, scriptio, genuflexio, prostratio, & huiusmodi alia, quibus merita multa in cella parantur. Si ergò feruet perfectionis desiderium, media hæc tam opportuna sine stupiditatis nota negligi nequeunt.

Porrò

Porrò magnus cellæ prouentus est.

Ratio quarta. Spectato actuum nostri instituti contextu, vel ipsa commoditas cellę amorem deberet inducere. Multò enim esset laboriosior disciplina nostra, nisi alterna cellæ quiete labor actuum communium temperaretur. Intercalata verò quies adeò moderata est, vt recessus ille sui potiùs appetentiam, quàm fastidium pariat, si qua perfectionis monasticæ æstimatio subsit. Cur ergo non optetur? cur non exquiratur?

Ratio quinta. Quanti sit ponderis cellæ bonum, ex eo perspicitur, quod nostræ salutis inimicus importunè, & grauitèr ad exitum vrget. Nouit enim ipse, quæ damna ex recessu patiatur, quæ lucra exitu conquirat. Si ergo hostis nocendi cupidissimus tantopere exitum suggerit, necessario asserendum est, illam cellæ custodiam momenti maximi esse.

Ratio sexta obseruata instituti nostri ratione, ac rei examine identidem facto, constat eos, qui in cellis parum latere; indeq. frequenter egredi assuescunt, & cultura spiritus modicè proficere, & alijs quodammodò exosos fieri. Quod æquo Dei iudicio eis rependi videtur, quòd rem sanè pretiosam non magni faciant. Bonum ergo consilium est, in cellę statione persistere.

Ratio septima. Quieta illa cellę custodia tam est fini principali instituti nostri, contemplationi nempè, consentanea, vt vix credi possit, aliquem è nostris ad finem, quò vocatur seriò tendere, & cellam nõ impensè amare, quod ità per se notum videtur; vt id rationibus asserere superuacaneum sit. Si

fit. Si ergo potior instituti nostri finis animo hæret, & animus cellæ adhæreat, necesse est.

Ratio octaua. Illustres in cella victoriæ à monachis veris desidiam,& torporem excutientibus comparantur, spectante Deo palæstram, & præmia cumulata decernente. Eoq. victoriæ illæ tutiores sunt, quò ab hominum conspectu exemptiores. Quin & oratio ipsa, iuxta consiliũ Euangelicum, ostio clauso, intra cubiculum Deo animorum cognitori oblata, purior, & acceptior esse solet. Quid ergò prætexit, qui cellæ bonum lentè diligit.

Ratio nona. Monachis in cellã abditis à Deo internę lætitię oleum dignatione multa solet instillari, quo fessi recreantur, & exhilarantur feliciùs, quam oleo materiali vidua illa, quæ ostio clauso de consilio Elisei vacua vasa demum expleuit. Cur ergo nos ipsos, in cella clausa, huic cælesti refrigerio, non aptare curemus?

Ratio decima. Quàm sit eximium cellę bonum, tàm est per se exploratum, vt ab ipsis secularibus propemodum cæcis fidem acquirat. Ij quippè, (quod nobis notum est) in claustra monachorum in cellis sine vllo strepitu latentium, ingressi vehementer admirantur, quòd tot homines alijs natura similes longas cellarum serie in recessu quisque suo, quiescant, quod natura horrere videtur. Qua ex meditatione alta trahunt suspiria, & vim lachrimarum effundunt, quasi recessus ille è petris aquam eliciat. Si ergo seculares cellæ bonum, quasi diuinum quiddam demirantur, cur monachi id non extiment? Cur

non in Christi militia, in decreta sibi statione permaneant?

Multa satis argumenta congessimus, quæ ad cellæ amorem parum etiàm pios animos excitarent. Quid autem de piorum motione subijciam? Vos, patres, pietatem colitis, & instituti nostri amore capti estis. Vos ergo appello, & rogo, an memineritis sanctorum, qui in spelũcis, & cauernis terræ vitam duxerunt, subtrahentes se varijs solicitudinibus, vt exactiùs de grauissima æternæ salutis causa coram diuina maiestate agerent? Porrò si causæ huius pondus dignè perpẽderetur, credo equidem, multa millia, quæ modò per plateas otiosè vagantur, se se reciperent, & secretissimas eremitarum cellas, vel antra peterent. Si enim, vbi aliqua cœlestis inspiratio ab eis percipitur, molliuntur, & se in oratoria abdunt; quid rogo efficerent, si sensus ille Dei diutius permaneret? Cùm ergò vos Dei sensũ nacti sitis, & diuturna meditatione vestræ salutis causam æstimare noueritis, quid superest, nisi vt apicularũ more, vos intra cellas condere, & spirituali mellificio operam nauare pergatis? Explorate vos ipsos, qui meliores non estis Theodoro, qui experientia conuictus, monachũ extra cellam, alium ab eo, qui in cella foret, alium inquam non sanctiorem, non feruentiorem fatebatur. Omnia circumspicite, omnia mutuo conferte, & facilè animaduertere poteritis, in vnoquoque cœnobio eos, qui fideliores cellæ custodes sunt, spiritu feruentiores euadere, & cælestibus donis cumulatiùs augeri. Res tam cõperta est, vt nolim alios,

Cassianus collat. 6. c. 10.

quàm

quàm vos ipſos teſtes accire. Sentietis nonnunquàm quendam velùt pruritum leuitèr exeundi, ipſaq. pigritia cauſas exitus apparentèr iuſtas depinget: verùm ne credite: ignauiam excutite, & paulò poſt impoſturam deprehendetis.

Cella nidus eſt, non auium rapacium, ſed mitium, vbi neceſſario volatu feſſæ requieſcunt. Nidum repetite,nido vos auidè inferte. Expendite columbam, quam emiſit Noè, quæ poſtquam prolixo volatu longum tractum peruagata eſt, cum non inueniſſet, vbi pes eius requieſceret, in arcam ſe ſe recepit paſcenda, & captatura quietem. Hæc cogitate, certoq. ſtatuite, neque quietem, neque paſtum vos extra cellam errantes reperturos. Inuenietis fortaſsè cadauera putria ad paſtum,& arborum ramos inconſtanter aquis inſidentes ad inſeſſum, vt columba illa: ceterùm ſalubria eſculenta, & firmam ſedem minimè comperietis. Quieſcite ad pedem ſcalæ,quæ à cella in cælum expeditum, ac facilem præbet aſcenſum, vt ſapientum benè librata conſenſio eſt. Scalam aſpicite, & anagogicis cordis motibus,è profunda lachrymarum valle, in qua verſamur, in editiſsimum Dei montem, pinguem, & coagulatum aſcendite.

Exhortatio de ratione cellæ inſtruendæ. *Cap.* X I.

QVi cellam vnicuique ſeorſim aſſignari iuſſit,eo ipſo cellã neceſſarijs rebus inſtruendam præſcripſit. Qua quidem in re, mi-

rum est, quàm solicitè nostræ salutis hostis disciplinam monasticam labefactare contendit. Ipso quippè necessitatis titulo honestatem prȩferente abutitur, vt multa persuadeat, quibus à primæuo sanctorum more nos demum auertat. Ex quo efficitur vt cellæ monachorum lentescere incipientium, rebus multis saltem inutilibus instruantur, quas interdicere oporteret. Succurrit illud, quod Machabæi fecerunt, vbi in atrio templi virgulta tanquam in saltu nata conspexere, quibus auulsis locus sacer expurgatus est. Quia verò nullus expurgandi modus optabilior videtur eo, qui spontè nascitur, rationibus subiectis suadebimus, cellas nostras modestissimè instrui debere.

Ratio prima. Cellæ nostræ, & oratoria, & cellæ sunt, quod è communi omnium sensu patet, cùm non minus orationi, quam captandæ quieti destinentur, quod bonorum monachorum vsus euincit. Si ergo locus sacris vsibus dicatus est, facile perspicitur, quàm sit indecorum, res ibi inutiles, superfluasq. reponere, quæ seculi odorem siue fœtorem exhalant.

Ratio secunda. Quicquid vltra sacram imaginem, lectum, mensam, sedile, paucos libros, lucernam, scopam, quȩ sufficiens est monachi supellex, admittitur, perfectis monachis idolum quoddam videtur esse, quod in loco sancto, aduersus diuinæ maiestatis cultum, statuitur. Consideret ergo, qui alia curiosa, vel inutilia congerit, quantoperè à cõmuni exhorbitet consuetudine, & illud monasticæ idololatriæ genus perhorrescat, si fructum è cella referre cupit.

Ratio

Ratio tertia. Res nulla, quantumuis exigua, præter eas, quæ parcitati monasticæ consentiunt, pacata conscientia in cella retineri, vel admitti potest: neque enim prelati id indulgent, aut iustè concedere possunt. Si ergo aduersus obedientiæ mentem, nihil conscientiæ prodesse credendum est; quid monachus cogitat, qui in cellam quicquam insolitum, aut superuacaneum infert?

Ratio quarta. Certis experimentis nouimus, monachos propriæ conscientiæ curam gerentes, ferre non posse stimulum, quo lacerantur, si vel papyri folium minimè necessarium in cella videant; libétiusq. eos dæmonis præsentiam, quàm paruam eiusmodi rem instituto suo disseтaneam perlaturos, cum præsentia dæmonis absque illorum culpa, rei verò illius minimæ receptio vel retentio, non absque illorum consensu, ac proinde non sine culpa contingat. Hoc itaque experti sumus. Quomodò ergò alij adeo oscitãter hęc pręterreunt, neque vllo infestantur scrupulo, si quatuor, sex, aut decem superfluas res, quas dictitant minimas, in cella se habere sciant? Quomodò somno indulgent, cum sciamus alios non posse requiescere, nisi priùs rem quamlibet, tamètsi minimam, disciplinæ nostræ aduersam ad prælatum deferant?

Ratio quinta. Solent monachi tepidiores voluptatem capere è thecis reliquiarũ affabrè elaboratis, ex minio tinctis imaginibus, è crucibus odorati ligni, vel colore aliquo natiuo splendentibus, è forficibus hoc, aut illo modo aptatis, è breuiario sic vel alitèr tecto, & ex id genus alijs,

quibus cellas instruunt, obliti simplicitatis, quam profitentur. Certum est autèm, harum rerum solicitudine verarum virtutum studium languescere experientiaq. constat, imperfectos monachos grauitèr mœrere, si res illæ eis subtrahãtur, quod est immoderati amoris argumentum. Accedit ad hoc perfectorum vsus monachorum, qui similia proprij amoris fomenta, neque in cellis reponere, neque admittere assuescunt.

Ratio sexta. Quò pauciora, & vsitatiora quis habet, eò minus eis hæret, eoq. spiritus libertas maior est. Cur ergo libertas pro nullius momẽti rebus in discrimen adducatur ab ijs, qui è mundi seruitute clementèr erepti sunt?

Rationes, quas protulimus, credo equidem, vobis probantur, vt nulla apud vos in cellis anathemata latere patiamini, quę diuinę oculos maiestatis offendant. Profectò timorati monachi, si fortè, quod accidere solet, quippiam superfluum in cella indeliberato actu reponãt, aut retineant, statim ac animaduertunt, tanquàm scorpionem, aut basiliscum aliquem eijciunt. Rem quippè, quod ad conscientiam spectat, venenatam esse sciunt, cuius proindè aspectum formidant. Quin etiam vbi dubium eis videtur, an ex ijs, quæ in cellis iamdudum posuere, quicquam necessarium sit, tanquam contagiosum repellunt. Quid vero in hoc genere subtexam? Prælati ipsi suspectam habentes subditorum fragilitatem ex officio cellas explorant, & paucula quędam fide non prorsus mala in vsum accepta resecant, ne vt cellę separatæ sunt, ità res illę minimæ, quę alijs deser-

uire

uire possunt, à communi vsu separentur, & ad vnius cellam instruendam conferantur. Profectò si Dei sententia spectetur, quę per regulam nobis innotuit, cellæ separatio commendatur: at cum vita imperetur communis, & è communibus officinis omnia necessaria promantur, aptè deducitur, vt ad cellas instruendas paucis opus sit. Si verò sententia hominum quicquam momēti habet, satis constat, viros cordatos, & cœnobiticę disciplinæ consultos non boni consulere cellarum ornatum, sed simplicem dispositionem, ac munditiam. Quin & quò supellex pauperior, & minoris numeri est, eò eis pretiosior videtur, & maiorem sanctitatis opinionem ingenerat. Cellas ergo, patres, nō rebus superuacaneis, sed pijs exercitijs, & lachrymis, ex concepta peccatorum pœnitudine fluentibus instruite, & affectum varijs irritamentis excitatū compescite. Nunc sancti se ipsos exonerant, & in cellis, velut in diuersorio inopi manent, beneq. est, vt quatuor parietibus nudis sepiantur, quibus ea merces reddenda est, vt exultent, in gloria, & lætentur in cubilibus suis. Sedulus viator non ornata, vel superflua, sed necessaria quærit: vnde & nos, qui futuram inquirimus, doctrinam eandem debemus amplecti. Arctus, & parùm instructus fuit carcer Iosepho, cęterùm pręclarè res illi cessit, qui ad amplam & satis instructam regis Aegypti aulam eductus est. At quorsum ego Iosephum commemoro? Recolite potiùs Christum, eiusq. purissimam genitricem, & quàm parùm instructam domum incoluerint, obseruate.

Historias legite, & exemplum domus ex Illyrico in lauretanum agrum ab angelis illatæ contemplamini, quod animos cælesti luce perfusos admiratione suspendit. Sanè inopia illa domus tam exiguę, ac parùm instructę, quam Vnigenitus Dei filius inhabitare decreuit, tepidis monachis acris reprehensio, feruentibus acerrimum calcar est. Onera ergo superuacanea exemplo tanto permoti deponite, & ad cælestes opes alacres, ac expediti viam carpite.

TEXTVS QVINTVS.

De communi refectione.

ITa tamen, quod in communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis. Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu peti possunt, ad exhortationes solitas.

AGi potest primum de disciplina in refectorio obseruanda. Mox de cautione illa, ne locus iniussu

iniussu prioris mutetur, & de cella illius primo in loco sita, & omnium dispositione illi credita, quę tria ad vnũ thema redigi possunt, scilicet ad hoc, ne quis curam rerum Priori creditarum vsurpet. Denique de perpetuo orationis studio intra cellas & extra. Singula expendamus.

Exhortatio de disciplina in cœnaculo seu refectorio obseruanda. Cap. XII.

PErmulta sanè antiqui vitæ monasticæ institutores de cœnaculi disciplina tradiderunt, quæ in Congregatione nostra diuino munere coaluisse perspicimus: quæ vt felicius crescant, erit ad rem, vt de tanti ponderis capite appositè ad praxim differamus. Et primum quidèm intemperantis monachi deformitas ob oculos ponenda est, vt id monstrum horrentes, in eam, quam à maioribus nostris accepimus, formam exactius conspiremus.

Tria sunt, quę monachum in cœnaculo deturpant, alienatio mentis à sua lectione, ingluuies, siue voracitas, & incompositi gestus siue immodestia, quibus ita se deformem, ac exosum efficit, vt vix à temperantibus, & modestis ferri possit. Non accumbit pręmeditatus, non sibi metam vllam pręfinit, & incompositis obtutibus, manuum, & totius corporis motibus, edacitatis vitiũ prodit, & solam saturitatem, cęterasq. gulæ partes, quicquid alij iudicent, se affectare demonstrat. Contemplamini nunc monstri huius turpitudinem: contemplamini, & exhorrescite.

Vt au-

Vt autem graue hoc malum procul arceatur, tria remedia pręsentanea in promptu habenda,& admouenda sunt, attentio videlicet ad lectionem piam, gulæ correctio, & modestia, è quibus primum spiritui, secundum corpori, tertium proximis debetur. Quanti vero ponderis hæc tria sint, è subiunctis rationibus patebit.

Ratio prima: Lectio pia à sanctis in morem inducta est, vt spiritus alatur, & homo dum corpus reficitur, in duas velut sectus partes, minus capiatur cibi voluptate, qua illectus facilè metam excederet, nisi remedio illo in officio contineretur. Confert quippè lectio sacra ad multiplices cordis motus excitandos, quibus velut ex acutis gladijs intemperantiæ capita præciduntur. Non ergo congruit sanctorum instituto, qui à lectione in cœnaculo sponte diuertitur, tanquam si in diuersorio cum secularibus vesceretur.

Ratio secunda. Familiare est monachis nostris à cibo extra horas cõsuetas abstinere, atque adeò non absque necessaria causa cœnaculum petunt. Quò ergo iustior causa suppetit, eò facilius animus causæ fidens seducitur, vt appetitui laxet habenas. Debet igitur monachus se comparare, & præsenti lectionis remedio vti, vt vehementem cupiditatem moderetur, & sine edacitatis culpa naturam sustineat.

Ratio tertia. Antiqua nobis experientia constat, in cœnaculis nostris, maiorem plerumq; piorum affectuum, & lachrymarũ prouentum, quam in oratorijs extitisse, ob attentionem pię lectioni pręstitam, vt opus fuerit animum à lectione tantillum

tillum diuertere, ne impotẽs affectus necessarium cibum adimeret. Quàm ergo degeneres essent, qui modò cursu contrario animum lectioni admouere nollent, & se in corporis pastum belluarum more totos effunderent?

Ratio quarta. Ex præmeditatione successuri gulæ conflictus, & præsenti lectionis occasione, monachi nostri perfectionis cupidi clariores in cœnaculo victorias; quàm in ciliciorum, catenarum, & verberum exercitio comparare solent, multa sibi sine valetudinis damno subtrahentes, quibus gula irritatur acrius, vt multiplicem hostiam Deo sacrificent. Quàm ergò longè à fortium Christi militum consuetudine recederet, qui cœnaculo ad pastum sine alia monastica disciplina, & lectionis æstimatione abuteretur?

Ratio quinta. Anima bene disposita, & spirituali pastui intenta incompositos motus, deformesq. gestus minimè parit. Quid ergo sentiamus de ijs monachis, qui omnia in cœnaculo lustrant, caput huc illuc torquent, signo vix expectato mappam celeriter explicant, apertis immoderatę appetentię signis cibos ori ingerunt, nec vnquam se expleri demonstrant. Profectò hi hæredes Esaù pro pulmento vno spirituale patrimonium venumdare velle videntur.

Ratio sexta. Diuino consilio in Congregatione nostra vsus percrebuit, vt inter vescendum varia mortificationum genera exerceantur de prælati venia, hoc surgente, vt ei vnusquisque è toto consessu alapam vnam impingat, alio genibus flexis singulorum pedes osculante, alio in terram pro-

cum-

cumbente, vbi pane dumtaxat, & aqua reficitur, alio genibus flexis tergo nudo, sensimq. verberato in medium cœnaculum ingrediente, & culparum veniam precante. Hæc scilicèt varia mortificationum genera ad appetentiam coercendam, motusq. corporis moderandos, & spiritum alendum opportunissima sunt. Cùm ergo tot habeamus ad bonum cœnaculi vsum prouisa remedia, quis non iudicet eum, qui nihilò seciùs eo loco abutitur, se non tàm monachum, quàm secularem hominem intemperantiæ nota infamem exhibere?

Ratio septima. Tot suppetunt recentia nostrorum exempla ad persuadendum monasticum refectionis vsum, vt antiqua requirere opus non sit. Certò quippè nouimus, alios, vt cibis saporem adimant, modicam instillare aquam, alios fellis Christi memores absynthij pulueres inspergere, alios dum panis canistra circumferuntur, duriora semper fragmēta seligere, alios vix paucas vini guttas aquæ admiscere, alios interim dum comedunt, alterum pedem à terra subleuare, vt molestia illa vexati escarum sapore minùs delectentur. Hæc apud nostros, qui generosè certant, exerceri nostis: quæ spiritualia quædam inuenta sunt ad cœnaculi vsum piè temperandum. Ex quibus profectò liquet, locum illum sanctis semper fuisse suspectum, quandoquidem tot machinas in Christi militia excogitarunt ad gulam expugnandam, & abstinentiam in quotidiana refectione colendam. Quid ergo dicendum de ijs, qui inter tot munimenta fragiliores euadunt, & velut animales homines, ea, quæ sunt spiritus Dei non magis percipiunt,

cipiunt, quàm si in seculo inter intemperantes versarentur?

Ratio octaua. Qui è nostris cœnaculo abuteretur, reprehensione videretur dignior, quàm alij lauta esculenta nacti, cum excessus ille non gulę irritamentis, sed vitio gulæ verteretur. Peior quippè, & vehementior fames est, quæ ad rudes cibos vorandos, quàm quæ ad delicatos perurget: ardentior item sitis, quę in aquam turbidã, quàm quę in pocula suauia hominem impellit. Quid ergò prætexet monachus, cuius animus cœnaculo sterili totus hæret, ibiq. sui compos non est?

Ratio nona. Potior instituti nostri pars est contemplatio, ad quam quò quis melior est, eò constantius aspirat. Cùm ergò omninò compertum sit, vitio gulæ mentem hebetari, & à rerum cælestium studio, ad cõmunia cum animantibus rationis expertibus oblectamenta diuerti, quis è nostris in cœnaculo se non temperanter geret? Profectò corpus cibis licèt rudibus immoderatè grauatum deprimit animum ne spiritualia sensa concipiat. Aut ergo frugaliter agendum, aut à principali fine nostro desistendum est.

Audistis, quàm sit decorum, & instituto nostro debitum in communi refectionis loco, vbi ex regulæ præscripto conuescendum est, disciplinam à sanctis traditam retinere. Reliquum ergo est, vt eam accuratè obseruetis, & pro communi ac priuato cuiusque vestrũ bono temperantiam ibi colatis. Cur enim virtutem maiorum non ęmulemini? An non suppetunt arma, & satis firma munimenta? An vestra non interest, in quotidiano

prælio

prælio victoriam meditari? Non agimus de victu necessario subtrahendo, sed prouide ministrando, nec tam sumus austeri, vt cum valetudinis damno seueram disciplinam suadeamus. Non fert animus, id monere. Quin etiàm nec veniam tantam impartiri cogitamus, quantā multi exoptant quorum postulata, satis accepta diuinæ maiestati sacrificia sunt. Mitiùs ergo vos habere, consultò volumus. Hoc dumtaxat hortamur, vt quod turpe, ac noxium est, vitetis, & cibum, potumq. congruentem spirituali sensu, & multiplici cum merito sumatis, ac in rebus saltem minimis appetitum compescere memineritis. Quod vt efficiatis arrigite cordis aures, & lectioni sacræ vestri partem offerte. Sermo enim Dei viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad diuisionem animę & spiritus, præstabit hoc, vt sectio quædam arcana fiat, & pars vestri nobilior suo quoque alatur pastu, interim dū corpus proprio suo nutritur. Ne spiritus nutrimentum respuatis. Tempus breue est, mundus trāsit, & concupiscentia eius; virtutis fructus æterna stabilitate perstabit. Quod si, vt ignaui prætexunt, corpus eneruetur, tantumdem roboris, aut magis multò spiritus acquiret, maiusq. multo lucrū existet, quàm detrimentum. Quid enim damni Iacob ex lucta claudicans retulit, qui cælesti benedictione prosperatus est? Luctamini & vos, neque ictum aliquem cæcum formidetis, vt clementissimus Deus augeat animi vires, & feliciùs cælestia bona refundat.

Exhor-

Exhortatio de cura rerum Priori creditarum non vsurpanda. Cap. XIII.

INter alia, quæ in lecto regulæ textu, iuxta sanctorum doctrinam, pensitari debent, meritò reponitur cautio illa, ne quis cellam sine superioris venia mutet, aut permutet, illudq. subiũctum, vt Prioris cella sit iuxta introitum loci, vt primus venientibus occurrat, & prudenter cuncta disponat. Ex quibus profectò verbis liquet legislatoris mentem fuisse, omnium rerum ad cœnobium iam conditum attinentium prouidentiam, & expeditionem ita Priori credere, vt monachi nihil sponte sua attentarent, aut se negotijs iniussi vnquam ingererent. Hic regulæ sensus syncerus est, cuius congruentia licet se satis manifestè spectandam exhibeat, humana tamen fragilitate, quę non sine multo conatu à claustris extruditur, factum est, vt in florentibus quoque ordinibus nõnulli scioli, & lenti suarum passionum domitores, plerisq. in rebus prælatorum officium anteuertere, & multa sine illorum concessu moliri contendant. Cui certè malo, ne nostræ Congregationi officiat, occur rendum est, vt ex rationibus his cẽsere poteritis.

Ratio prima. Indecorum est, vt membrum aliquod capiti subiectum auctoritate priuata capitis munus obire velit. Eo quippè ipso, qui à Deo probatus est ordo inuertitur. Cùm ergo Superior capitis, subditus verò membri subiecti loco sit, satis patet, curã ab eo anticipatã ordini aduersari, & vt leuitèr interpretemur, minimè decoram esse.

Ratio

Ratio secunda. Modicę humilitatis argumentum est, velle subditum prudentiæ, aut alterius congruentiæ titulo, quicquam à prælato non iniunctum aggredi. Quomodò aggrederetur, nisi prælatum non magni faceret? Quod si facit magni, cur non veniam poscit? Certè aut violatæ humilitatis, aut obedientiæ neglectæ, aut duplici culpa innexus est.

Ratio tertia. Licèt res, quam subditus efficere properat, ex genere honesta foret, eo ipso fœdatur illius procuratio, quod ei deest obedientię honestas, quæ inesse debuit. Si ergo res honestę sine superioris nutu factæ fœdantur, quid de indecoris, aut parum decoris arbitremur?

Ratio quarta. Imprudentiæ, vt minimum, nota est, inscio prælato quicquam ordiri, quod nescitur, an ab eo, vbi id rescierit, probandum sit. Quod si excipiatur, totum clam prælato absoluendum esse, peior sanè nota est, quæ non ad imprudentiam tantum, sed ad continuatam obedientiæ transgressionem refertur. Quid autem boni contingat ei, qui hisce fraudibus se ab obedientiæ ductu subtrahit?

Ratio quinta. Qui ante obtentam veniam negotia inchoat, ipse sibi laqueum tendit, quo capiatur. Seculares enim bona fide quod monachus attentat, interpretantes, id plerũq. pręlatis aperiunt, de ipsorum venia factum arbitrati. Quod cum ita non sit, si prælati dissimulent, fraude deprehensa de illo malè opinantur, & in posterum ei minimè fidunt. Si autem simulare nolint, apud prælatos ipsos, & seculares monachus iam malè audiet.

audiet. Mirumq. videtur aliquem mentis compotem, ob res satis leues, quales esse solent, quæ prełatis cęlantur, velle bonū nomen suum periculo ęxponere. Satiùs est, oraculū primò consulere.

Ratio sexta. Monachi parùm fideles ideò telas ordiuntur sine pręlati scitu, quia varie de rebus opinantur, & suam sententiam præponi cupiunt. Quod vt efficaciter obtineant, antequam cum prælato conferant, fundamenta iaciunt, quæ ille aut nullo modo, aut difficulter possit amoliri. Cęterum quam sit hæc præpropera solicitudo extra monasticam disciplinam, hoc argumēto conuincitur. Monachus hic in opinionū campo versatur: at vbi opiniones diuersæ sunt, & pręlatus in alteram partem propendet, ex communi sententia, subditus ei cedere debet: non ergo bonam mercaturam exercęt, qui ideò anteuertit officia, ne prælati sententia præualeat.

Ratio septima. Si expertis fides habenda est, frequentius monachi parum spirituales errant, quod se prælati curis immisceant, quàm quod ei curas proprias deferant. Qui ergo ab horum consortio procul abesse desiderat, enitatur, quoad poterit, vt iuxta regulæ sensum, ac verba de superioris arbitrio, quę agēda sunt, cuncta procedant.

Quid iam monendum? Quid à vobis præstandum est? Recolite historiam illam Euangelicam Petri Christum sequi admoniti, bonoq. animo de Ioanne rogantis: Domine hic autem quid? Expendite pium Petri animum. Expendite parcam, & nihil deforme præferentem interrogationem. Et tamen responsum est ei: Quid ad te? Tu me

ſequere; quod perindè eſt, ac ſi Chriſtus dixiſſet: Petre, Ego pręſideo: veſtri cura mihi à Patre meo demandata eſt: quorſum ergo hanc tibi curam vendicas? Hoc ergo ipſum monachus ſibi reſponſum credat, ſi Chriſti ei ſchola placet. Priori re-rum cura commiſſa eſt: quid ergo ipſe quærit? Cur ſe negotijs implicat? Et quidem, licèt hoc tam luculentum exemplum deeſſet, ipſa mentis maturitas, ipſe pacis amor, ipſa obedientiæ fidelitas, quod hortamur, exigeret. Nimirum leuitatis ſignum eſt ſolicitudo illa ante tempus opportunum, ſecularium more, rebus impenſa, qua & diſcordiæ ſemina iaciũtur, & modica erga pręlatum fides oſtenditur. Vtinam ſenſus regulæ à multis expleretur! Profectò iuſſio illa, vt Prioris cella extruatur propè introitum loci, vt venientibus primus occurrat, grauis ſanctio, & perfectionis monaſticæ complexio quædam eſt. Dicite, rogo, ſi nemo è vobis venientes alloqui auderet, & humanis rationibus exploſis ad ſuperiorem omnia referret, veritus ne legem violaret, quàm longe abſiſteret ab ijs malis, quæ in rationum contextu recenſuimus? Quantò eſſet laude dignior, Deo, & hominibus acceptior, qui nihil negotij quantumuis pij, ſe tentare velle ſine pręlati iuſſu fateretur, quã qui ſe obtentu etiam pio, ſine venia negotijs intruderet? Non eſtis adeo cęci, vt non liquidò perſpiciatis illum hoc iuſtiorem, ac prudentiorem eſſe: illum honeſtiſsimam excuſationem è proprio ſtatu ortam obtendere, hunc non alitèr agere, quàm ſi obedientiæ voto non eſſet aſtrictus. Stultum eſt ſanè, nolle pace à

Deo

Deo concessa frui,& spinas serere,quibus imprudens laceretur sator. Reijcite alienas curas, & quandiù licet,cogitatus omnes in Deum iactate. Hæc est pars libertatis vestræ nō exigua. Hac ergo frui pergite,& in æternā libertatem suspirate.

Exhortatio de perpetuo orationis studio. *Cap*. *XIIII*.

VErba regulæ, quibus cellarum custodia, & perennis oratio nobis pręcipiuntur, digna planè sunt, quæ animis vestris non adacto ferro, sed suaui Dei spiritu imprimātur. Sunt enim legi gratiæ,& noui testamenti suauitati mirificè consentanea. Duo verò capita complectuntur,è quibus vnum,quod ad cellæ amorem pertinet, superiùs, vbi textus id exigebat expensum fuit; alterum quod ad iugem diuinæ legis meditationem spectat, nunc digerendum est. Principiò ergo sensum capite. Animus quippè legislatoris est, siue in cellis, siue iuxta eas, vbi eremitico more separantur, monachum diuinis rebus intentum esse debere,ac in ea animi intentione,quoad humana fragilitas fert, vbique persistere, nisi occupationes iustæ à prælatis iniunctę orationem interpellent. Hic communis ac germanus sensus est: qui quam sit, vti præmisimus, noui testamenti suauitati consonus, ex eo liquet, quòd in lege gratiæ plurima vtriusque sexus millia, curis omnibus generosè despectis, in hoc incubuere, vt mentem in Deum semper intentam gererent, & casta diuini amoris oblectamēta alto mundi cōtemptu requi-

rerent. Quanti vero ponderis sit huiusmodi prę-scriptio, ex rationibus subiectis animaduertite.

Ratio prima. Ciuitas, quę obsidione crudelium inimicorum cingitur, nocte, dieq. peruigilat, omnesq. vires exerit, vt auxilium ab ijs, qui illud ferre valent, obtineat. Res comperta est vniuersis, sed ijs maximè, qui obsessi fuerunt, & explosorum tormentorum crepitum cum subitaneæ mortis formidine horruerunt. Quàm verò certum, vulgatumq. sit, nos ab hostibus sæuissimis obsideri, ex quotidiani officij monitu illo patet: Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus circuit quærens, quem deuoret. Verba profectò hæc tam crebrò repetita, quam raro pro dignitate perpensa, ea sunt, quibus aptiora in excubijs militaribus, instante prælio cogitari non possunt: quæ à sponsa Christi Ecclesia irruptionem formidante, ac salutis filiorum solicita ante solis occasum quotidiè enunciantur. Si ergo absque intermissione obsidemur, & pericula tremenda perenniter imminent, quid magis appositum, ac salubre, quam perennis oratio, & indefessa auxilij cælestis imploratio?

Ratio secunda. Tametsi externi hostes in nos impetum minimè facerent, corpus ipsum, quod corrumpitur, aggrauat animam, & bello intestino infestamur, vt congruat etiam monacho Apostoli sensus ille, Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Si ergo intra nos bellum perēne geritur, è quò nisi ope cælesti victoria reportari nequit, iudicet quisque vestrum, quàm sit opportuna perennis oratio, ne corpori succumbat.

Ratio

Ratio tertia. Occurrunt crebra negotia, quæ solo humanæ prouidentiæ ductu non satis feliciter expediuntur, & quò quis oculatior est, eò cernit apertius, necesse esse, lucem è cælo precari. Quin etiam ipsi quotidiani actus non sat fructuosè exercentur, si langueat studium perenniter orandi, quod, qui rerum diuinarum consultus est, ignorare nequit. Quomodò ergo nos, & nostra, & aliorum negotia pietatis intuitu suscepta geremus, si orationis curam intermittamus?

Ratio quarta. Prætexitur difficultas apparenter insuperabilis. Verum si regulæ sensus penitùs capiatur, nihil excipi potest. Si enim negotia, quæ vulgò incompatibilia appellãtur, puta lectio scholastica, scriptio, & id genus alia, quæ intellectu intento peraguntur, obstent, si ea pietatis gratia, vti decet suscipiantur, præuia directione consueta, orationis vicem gerunt, præsertim si pijs affectibus intercalatis in Deum referantur. Ijs autem exercitijs, siue actibus exceptis, totum id tempus, quod reliquum fit, diuinæ maiestati cur non consecrèmus?

Ratio quinta. Prætexitur adhuc arduitas. Quomodò enim aiunt, per totum tempus illud orationi vacetur, sine graui capitis decremento? Cęterùm prætextus hic in speciem prudens facilè reijcitur, si varios orandi modos discernatis. Non enim regulæ sensus est, debere nos meditationi semper insistere, eo prorsus modo, quem statis orationis horis certo partium ordine exercemus: sed mitiore alio modo, qui ex Dei præsentia, & breuissimis, ac intercalatis meditatiun

culis, varijsq. virtutum actibus, varijs item pijs cogitationibus cōponitur, ita vt, quoad fieri potest, monachus semper pium aliquid sine conatu, mente pertractet, nec deliberatè in res alias, nisi ex obedientiæ nutu, animum intendat. Hoc autèm modo planè suaui perennitèr orare minimè durum est.

Ratio sexta. Scriptum est, qua hora non puta-
Luc.12. tis, filius hominis veniet, diuinoq. consilio animus noster oraculo hoc suspensus est, ne hora exciperetur vna, qua mortis insultus non timeretur. Si ergo quauis prorsus hora interire, & ad iudicium postulari contingit, profectò horis omnibus Deus iudex orandus, & propitiandus est. Vis rationis huius est planè fortissima, vt hoc liquet exemplo. Qui nauigant licèt parùm pij anteacto tempore fuerint, statim ac animaduertūt, se ligno fragili vehi, præsertim vbi cœpit mare tantillum cōmoueri, compendiaria religione oratores euadunt, periculiq. imago menti jugitèr impressa orationis exercitium protrahit. Res omninò perspecta est. Si autem mercatores, ac vectores alios rogetis, cur tam perseuerāter orent, respondebunt periculum perseuerantèr instare. Cùm ergo in horas singulas cuiusuis ætatis funera videamus efferri, nosq. certò sed incerta hora efferendi simus, ac proindè in perpetuo discrimine versemur; quid aliud nobis tam salutare imperari potuit, quàm vt perseuerantèr oremus?

Ratio septima. Intellectus noster non ità quiescit, vt nihil omninò meditetur. Cùm ergo aliquid mente pertractandum prorsus sit, & ope diuina

uina res cælestes contemplari, terrenas respuere possimus, mirum videtur, nolle monachum quempiam bonum habere delectum, & fluxarum rerum conceptus æternarũ meditationi anteferre. Porrò fatuus videretur, qui crystallinum vas prætio multo emptum, quod balsamo imbuere posset, mallet cœno replere. Si ergo intellectum diuinis conceptibus illustrare potestis, cur terrestribus obscuretis?

Ratio octaua. Licèt alia rationum pondera deessent, hoc vnum satis esse deberet, quòd maiestas diuina nostræ consuetudinis cupidissima frequentius, quam dici queat, obliuioni ab hominibus traditur, perpauciq. inueniuntur, qui ei vacare perseueranter velint. Res porrò notissima est. Si ergo & ij, qui orationis studium profitentur, pias meditationes leuibus ex causis intermittere, & mentis intentionem crebrò relaxare consuescant, Deus in re, quam expetit maxime, à suis creaturis deseretur.

Animaduertite, patres, quid Deo spondere volueritis, vbi solemnia vota iuxta regulam nostram, nuncupastis. Perindè enim egistis, ac si in hæc verba professionem emitteretis: Ego promitto tria solemnia vota, iuxta regulam hanc, per quam mihi imperatur perennis oratio. Rem æstimate, & fideles promissi redditores estote. Consideret quisque vestrum, quid in seculo moliretur, si efficaci vocationis gratia à clementissimo Deo præuentus non fuisset. Quibus nunc rebus vacaret? Quibus negotijs dies, ac noctes impenderet? Hic iurisprudentiæ, ille medicinæ, alius

militiæ se totum dederet, nec exciperet horas, quibus institutum intermitteret, si ex continuo studio honores ampliores, aut lucra speraret. Non ne videtis pictores, & scalptores imaginum, quas fingunt, pulchritudine velut captos, quinas, & senas horas in opere perdurare? Quid iam de agricultoribus promam, qui proni dies integros, vix horam vnã cænę, aut somni causa interquiescunt? An hi homines non sunt? An labor ille improbus difficilior non est, quàm iugis morulisq. breuibus intercisa meditatio? Cur ergo monachi rei difficultatem causentur? Cęterùm lentis oratoribus demus hoc, vt labor æqualis sit, dummodò fateantur illi, meritum esse cumulatiùs. Si ergo fructus vberior est, cur æqualis labor detrectetur? At maiestas diuina his ignoscat iudicibus, qui diuturnam eius præsentiam inter molesta reponunt, quasi ex ea cõsuetudine non merita dumtaxat, sed oblectamenta cælestia neutiquàm promanarent. Iustè satis de monachis multis Deus conqueri posset, vt olim de ingrato populo, in hæc verba questus est.

Iere. 2. *Videte verbum Domini. Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus, Recessimus, non veniemus vltra ad te?*

ac si planiùs sic effaretur: Quid est hoc? An ego, qui sum ipsa bonitas, euasi sterilis, instar terræ solitariæ cultura carentis, aut terræ quidèm cultæ, sed fructum serò reddentis? Minimè quidem. Sum enim ingenio liberalissimus, more pinguis terræ cum fœnore multo prouentum refundentis.

Cur

Cur ergo Israel à me recessit, statuitq. se vltra non reuersurum, quasi è mea consuetudine nihil boni demum expectaret? In hunc profectò modum de monachis eius præsentiam obliuioni tradētibus querimonias multas posset Deus efferre. Quicquid autèm alij cogitent, vos, quibus ingrati animi nota teterrima foret, ne Dei consortium respuite. Quærite potius Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Hæreat animo illud vatis diuini optatum, ac propositum: Tibi dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. Ps. 26.

TEXTVS SEXTVS.

De horis canonicis.

HI, qui horas canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant secundùm constitutionem Sanctorum patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non nouerint, viginti quinque vicibus Pater noster dicant in nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigilijs prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autèm eadem dicatur oratio in Laudibus matutinis. In alijs quoque horis, septies similitèr eadem dicatur oratio sigillatim, prætèr officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

Obser-

Obſeruatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

POteſt haberi ſermo de officij diuini dignitate, & fructu. Pręterea dici poterit de modo officium diuinum perſoluendi.

Exhortatio de horarum canonicarum dignitate, & fructu. Cap. XV.

ECcleſia militans, quæ ad triumphantem tanquàm è bello ad pacem, iugi contentione ſuſpirat, quoad per vitæ mortalis conditionem licet, ea præſtare conatur in terris, quæ ad cælitum mores proximè accedant. Quo circà cum in ſuperna Dei ciuitate feliciſſimus ille beatorum ſummo bono fruentium cœtus diuinam maieſtatem perpetua laude cõmendet antiquo ritu quotidianum horarum canonicarum penſum ſoluere conſueuit, vt Deo, quam poſſet, laudem cæleſtes choros imitata rependeret. Quò quidem in officio, indefeſſo ſtudio permanſit ob immenſam Dei gloriam, cui tot quotidiè in orbe terrarum chori religione concordes, ac diuinæ charitatis fœdere ſociati conſtantèr acclamant, & ob eximium bonorum affectuum prouentum, qui ex eo planè angelico exercitio percipitur. Aequum ergò erit, patres, qui officij diuini vinculo innexi eſtis, eius dignitatem ac fructum è rationibus ſubiectis expendatis, vt horas canonicas religioſiùs recitare, ac fructu vberiore gaudere poſſitis.

Ratio

Ratio prima Mos officij diuini ſtatis horis recitandi ſacer admodùm, & perantiquus eſt: atque adeò caput extulit ſuper ritus alios religioſos: videturq. quoddam nobilitatis inſigne, quo clerici ſacris ordinibus initiati à reliquo populo diſcernuntur, tanquam humanis ab officijs feriati, & ſoli addicti diuino. Hoc ergò officium ſanctitate, & antiquitate commendatum, & velut opus proprium vobis demandatum, cui alijs curis abdicatis vacandum eſt, ità æſtimare debetis, vt ſpontaneas precationes alias cum illo comparare minimè audeatis. Inuenta quippe alia antiquo, & communi eccleſiæ inſtituto æquare, nefas creditur eſſe.

Ratio ſecunda. Officium hoc non ipſo dumtaxat nomine, ſed re vera diuinum eſt, habetq. cum angelicis choris communem quãdam planè diuinam mentis eleuationem verbis ſacris, quæ proferuntur, conſentientem, Eius quippè perſolutio latriæ actus eſt in diuinam maieſtatem intentus. Si ergo quæ genere diuina ſunt, & magni pendi, & religioſè admodũ exerceri debent, profectò ex hoc capite ad horas canonicas multa cum religione recitandas, vel canẽdas eſtis aſtricti. Quale enim portentum eſſet, diuina à vobis, quos oportet rerum diuinarum æquos æſtimatores eſſe, parùm diuine celebrari?

Ratio tertia. Horæ canonicæ ſunt ipſe textus Scripturæ ſacræ Spiritu ſancto dirigente conſcriptus, & ſanctorum ſcripta, quæ ſpiritus ipſe ſuggeſsit. Quis ergo adeò delirus ſit, qui non conſideret, quàm attentè, quàm puro mentis in-

tis intuitu ijs intereſſe debeat?

Ratio quarta. Perindè eſt horas canonicas perſoluere, ac ſupplices libellos à Chriſto dictatos ad impetrandam ſalutem æterno Patri offerre. Si ergo libelli principibus terrenis porrecti ab aliquo, qui gratia apud eos valet, commendati, tantoperè æſtimantur; quis non iudicet, hos noſtros maximi fieri debere,& plurimùm intereſſe, qua mentis diſpoſitione porrigantur?

Ratio quinta. Credendum eſt, Deum copioſiùs fauere ijs, qui conceptis ab eo verbis vtuntur; vt eum colant, quàm alijs, qui varias precandi formulas excogitant. Quis enim adeo eſt obtuſus, qui non dignoſcat id tam perſpicuum precandi diſcrimen? Si ergo vberior gratiæ prouentus eſt? quomodò pleriq. tam ſegnitèr officium recitare aſſueſcunt?

Ratio ſexta. Horarum canonicarum penſum, quotidianus, ac perpetuus meritorum cenſus eſt, preces verò aliæ ſpontè fuſæ non ità perdurant,& & facilè intermittuntur. Quantò ergo fructuoſius eſt, perpetuos, & certos quaſi redditus,quàm temporarios, & incertos magni facere? Profectò non leuitèr ſeducuntur, qui precationes neſcio quales inſolitas, & ad proprium ſenſum aptatas religioſiſſimè frequentant, & officium diuinum lentè ac parùm accuratè perſoluunt.

Ex his, quæ deprompſimus, liquet, patres, quàm ſit honeſtum, ac vtile canonicarum horarum debitum, qua decet pietate, diuinæ maieſtati reddere. Ex quo efficitur, vt niſi deſipere velitis, in opus hoc abſque dubio diuinum ſedulò incum-

incumbere debeatis. Cùm enim Deus curas alias vobis ademerit, & in locum ſacrum, tanquàm patritios ſuos cooptauerit, vt eius laudes caneretis; meritò à vobis pœnas exigeret violatę fidelitatis, ſi alijs exercitijs cum officij diuini detrimento, videret intentos. Benè hæc nouit ſæuiſſimus noſtrę ſalutis hoſtis, qui capturus incautos, exercitia alia varijs pietatis coloribus in ſpeciem honeſtat, vt monachos à cæleſti exercitio diuertat, ſubtiliq. aſtutia, alia dulceſcere, hoc amareſcere facit, vt victoriam eo fuco reportet. Cęterùm rei dignitas, & vtilitas vobis iã perſpecta eſt, vt excuſationẽ afferre nequeatis, ſi dulce honeſto antefertis. Expendite Apoſtoli ſenſum.

Omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Perfectorum autèm eſt ſolidus cibus eorũ, qui pro cõſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionẽ boni, ac mali. Heb. 5.

Si lacte mulcemini, paruuli conſultò eſſe vultis. Si tamen ſolido cibo ali more grandiũ optatis, ſenſus internos ad rerum honeſtarum, & ſalubrium diſcretionem exercete. Quod ſi voluptas à vobis omninò expetitur, ne hac de cauſa torpeatis: certum quippè eſt, eccleſiæ cantu affectus ſuauiſsimos excitari: quod benè ſenſit Augustinus hac de cauſa plerũque vim lachrymarũ effundens, cui ſimiles in hoc genere alios ætas noſtra perſpexit. Profectò, ſi ſciretis, quàm ſit è re veſtra, hac etiam de cauſa, in cœtu iuſtorum Dei maieſtatem eccleſiaſtico ritu laudare, ægre ferretis à choro abeſſe, ob eum multorum animorum in cælum aſpirantium concentum externã

preca-

precatione testatum. Si daretur semel saltem spiritualem cæli rorem; quo cœtus ille conspergitur, intueri; ad canonicas horas dato signo celeritèr accurreretis. Ibi quippe omnino verum probatur illud diuini vatis effatum:

Ps. 132. *Illic mandauit Dominus benedictionem hoc est copiam, vbertatem.*

Præmiserat propheta sociati cœtus laudem à bono, atque iucundo petitam. Non enim bonum modo, sed iucundum, siue voluptuosum est, iustorum cœtui interesse: quod illa subiecta roris hermonij Sionem humectantis similitudine satis expressit. Cæleste refrigerium, ros arcanus est, quo fatigatus animus ab ęstu mortalis vitę recreatur. Hinc, credo equidem, legitimi certatores nostri horarum canonicarum amore capti, die, nocteq. mira velocitatę chorum petere, & ad laudes sacras celebrandas se accingere consuescunt. Hoc imitamini, cùm his ad victoriam generosè certate; & inter diuinas laudes gaudia vestra, & coronas vestras exquirite.

Exhortatio de modo diuinum officium persoluendi. Cap. XVI.

EXprimi nequit, quam religiose antiqui monachi diuinas laudes celebrare cōsueuerint. Nimirum rei dignitatem, & prouentum æqua lance librantes aptißimum fructui percipiendo modum inire curarunt. Modus autem ille ad duo potißimum capita redigi posse videtur, ad intentionem scilicet animi, & ad corporis decoram coaptatio-

ptationẽ. Omninò enim decet, vt qui diuinæ maiestati sacrificium laudis oblaturus assistit, & mentem intendat, ne diuagetur, & corpus modestè componat, ne quid deforme præseferat. Hęc fuit prisca, & penè angelica officij diuini persoluendi ratio, vbi Dei spiritus viros illos sanctitate claros afflabat: cęterùm eorum posteri, nec animi intentionem, nec externam modestiæ disciplinam retinentes, ad lentum quendam & parùm decorum canendi, & recitandi modum processerunt, qui teporem animorum facilè indicat. Ab his longè absistere, & ad antiquitatem propiùs accedere opus est, si quod profeſsi sumus, explere velimus, quod vt feliciter succedat, harum rationum momenta perpendite.

Ratio prima. Non leuis irrogaretur iniuria principi mortali, si quis cum eo verba faciens spontè ad alia cogitanda diuerteretur, aut mentem lentè applicaret. Vtroque enim modo proderet, se principem non magni facere, quod ægerrimè ferri solet. Si ergo diuersio, modicaq. attentio principem mortalem offendit, quid de immortali dicemus? Quis non acriter reprehẽdat mentis euagationem, ac teporem, vbi cũ infinita maiestate agere, eiusq. laudes efferre decretum est?

Ratio secunda. Non euagatio, aut torpor tantùm, sed error multiplex alius idoneum diuinas laudes celebrandi modum perturbat, vel obtruncat, qualis error illorum, qui exercitia spiritualia importune, ac imprudenter officio diuino intrudunt, quibus ab intentione, ac deuotione maiestati diuinæ debita animum auertunt. Cum enim

ipsæ

ipsæ officij partes, quæ Scriptura sacra, & sanctorum homilijs constant, sint satis pinguis animi pastus, digeriq. vix queant, si alijs exercitijs vario artificio compositis præstetur attentio; quis non animaduertat, per exercitia illa intẽtionem animi diminui, & vires in studia diuersa dissipari? Neque hoc loco prætexenda est pietas eorum, qui ad singulos horarum canonicarum versus, pedem, vel manum Christi Crucifixi osculantur, aliasq. adorationes certis numeris astrictas frequentant. Importuna quippè est tam exacta adorationum artificiosè succedentium obseruatio, quæ ab attentione principali, & à percipiẽdo officij diuini sensu animum certissimè abigit. Officij diuini pensum syncerè, & grauitèr, & sine labore, qui caput lædat, more Sanctorum in Deum referendum est.

Ratio tertia. Non modò mens in varia studia diuidenda non est, verum ad morem seraphicum omnes animi vires colligi debent, vt in Deum virtus vnita fortiùs feratur, quàm dispersa, quod totum illis latriæ actibus ità consonat, vt diuisio dissonet. Totum quippè hominem Deus in his religionis actibus sibi cupit assistere, & quicquid decerpitur, in eius iniuriam cedere videtur.

Ratio quarta. Prætexitur corporis pondus, quo deprimitur anima, ijs præsertim horis, quibus à somno surgitur. Verùm hęc iustorum prælia sunt, vt valide pigritiam excutiant, & corpus animo seruire cogant. Num somnum excusarent, si à principe mortali ad eius præconia celebrãda vocarentur? Non dubium, quin sedulitate multa se

ipsos

ipsos excitarent, ne quid indecorum appareret. Cur ergò erga omnium rerum conditorem non eandem disciplinam obseruent?

Ratio quinta. Prætexitur vel æstiuus calor, vel frigoris asperitas, quæ obstant, ne corpus ità decore aptetur, vt par esset. Cęterum qualis prætextus est hic? Exploratum est, fortes Christi athletas hæc obstacula despicere, & gloriosè superare concepta diuinæ maiestatis præsentia, & functione tunc obeunda. Cur ergo alij ità non vincant? An qui vincunt homines non sunt? Homines planè sunt, sed ope cælesti hæc impedimenta depellunt. Vos ergo, patres, qui inter ignauos recenseri non vultis, modum diuina officia exequendi spiritualem, decorumq. sectamini. Cùm enim status vester angelicus sit, turpe est, carnis concretionem prætexere. Quin etiam fatuum est, corpori in hoc opere non imperare. Si enim officium id sub mortifero peccato quotidie explendum est, an vobis stultum non videtur, illud modo ad fructum minimè apposito persoluere? Etenim si officium omitti inculpate posset, ab huiusmodi molestia è corpore genita facilè vos expediretis: at cum id fieri nequeat, & onus illud omnino subeundum sit; non ne perspicitis, rem vestram agi, si à vobis perfectissimè subeatur? De merito quidem, quod vos dignè æstimare supponimus, nulla controuersia obtenditur: Constitutũ est quippè, religiosam mentis, corporisq. coaptationem auctioris meriti, quam irreligiosam esse. De sola ergo rei difficultate disceptari posset. Cęterùm vos ipsos iudices constituo, ro-

goq. vtra sit grauior difficultas, in officio lente, ac incomposite perdurare, an sub initium tribus, exempli gratia, validis cordis motibus pigritiam excutere, & ad reliquum tempus, mente intenta, corpore aptato, capiteq. exonerato euigilare? Porrò respondebitis, rem esse experientia probatam, multosq. qui videbantur somno opprimendi, aut repente incidentibus doloribus torquendi, alijsue modis diuertendi ab officio, serenitatem quandam, & libertatem cælestem præmissis aliquot mentis ascensibus nactos fuisse. Rectè quidem: nos etiam idipsum obseruasse fatemur. Si ergo is modus non solùm meritis fœcundior, sed facilior est; quid existimatis sentiendum de monacho, qui foris loquax, in choro mutus, foris agilis, in choro grauiter oppressus deprehenditur? Quid de illo censebitis, qui breuiarium sustinere non posse videtur, qui omnia circumspectat, & cantum exeundi cupidus accelerat?
Isaiæ 6. Recolite Seraphim; quando (iuxta Isaiam) clamabat alter ad alterum, Sanctus Sanctus Sanctus, & humanam fragilitatem aspernati seraphicos mores æmulamini. Recolite Sanctorum consuetudinem, vt recitetis psallatisq. sapienter.
Ps. 46. Quid putatis, sibi velit vox illa, sapienter? perinde est, ac si diceretur more sapientum, qui sensa diuina percipiunt eorumq. dulcore delectantur. Eloquia Dei dulcia esse è psalmographo didicistis, per verba illa,

Ps. 118. *Super mel ori meo.*

Si ergo melle dulciora sunt, profectò sapienter psalli, ac celebrari decet. Hæc ergo alte recondite, hæc

te, hæc cogitate, & animis in cælum intentis, corporibusq. modeſtè coaptatis in quotidiano diuinarum laudum officio, choros angelicos imitari certate.

TEXTVS SEPTIMVS.

De non habendo proprium.

NVllus fratrum ſibi aliquid proprium eſſe dicat: ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuique per manum Prioris, vel per fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, provt cuique opus erit, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum.

Obſeruatio thematum, quę ex hoc textu duci poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

DIſſeri poteſt de vita communi. Mox agi poteſt de recurſu ad Priorem pro rebus neceſſarijs. Poſſent, & alia pertractari quæ ad Prioris officium attinent: verum ſcripto huic non congruunt, niſi ea, quorum ipſe monachos debet admonere.

Exhortatio de bono vitę communis. Cap. XVII.

COmmunis vitæ bonum adeo excelſum, ac diuinum eſt, vt qui diſciplinæ monaſticę conſulti ſunt, id & ſummis præconijs extollant, & pro eo ſuſtinendo nullum laborem formidandum eſſe

consentiant. Habet nempe id bonum cum cælesti patria affinitatem non exiguam, quã præ oculis decet habere. Vt enim commune beatorum æterna pace fruentium bonum cuique, proportione seruata, totum cõmunicatur, nec alter alteri illius consortium inuidet; ità in cœtu monachorum communem vitam ducentium, quicquid habetur boni, ità est omnium, vt sit quoque singulorum, quoad opus est; nec patet inuidentiæ locus, vbi in quotidianæ prouidentiæ decursu, non personæ sed necessitatis modus expenditur. Vitæ ergo cõmunis, beatæ vitę adumbratio quædam est. Hinc efficitur, vt generis humani hostis, qui à vita beata, qua caret, inuidentię stimulo percitus homines conatur auertere, simili quadam peruersitate monachos à communi vitę studio enitatur dimouere: quod portentosa ordinum multorum ruina testatur. Danda ergo opera est, vt bonum hoc, quod cælesti munere apud nos integrum perstat, accuratissimo studio conseruetur: quod his rationibus videtur persuaderi.

Ratio prima. Exploratum est, communem vitam pacis esse feracem, cum non subsit dissensionis causa, vbi nemo quicquam, vti proprium sibi vendicat. Pacem autem vniuersę creaturę appetunt, & quàm sedulo possunt, inquirunt; cuius veritatis experientia notissima est, nam & bella geruntur pacis acquirendæ gratia, vt crebris liquet exemplis: præterquam quod passim cernimus, & animantes, & res sensus expertes ad quietem, hoc est, pacem quamq. suam naturali propensione moueri. Si ergo vitæ communis ratio

pacis

pacis vbertate fœcundatur, qui fieri poteſt, vt monachus tanti boni conſcius, eam non alere,ac promouere conetur?

Ratio ſecunda. Vbi in commune pietate monaſtica viuitur,monachi ſinguli quadam ſane nobili conditione gaudent. Quemadmodum enim orbis terrarum principes,quæ fercula apponenda ſint, quod triticum emendum, quænam alia victui opportuna ſeligenda minime cogitant, ſed cura alijs demandata bonis paratis fruuntur; ita & monachi: quod itá perſpectũ eſt, vt nec á proteruis negari poſſe videatur. Et quidem quicquid alij ſentiant,vos quotidie ad menſam accumbitis, & nulla præuia cura victu neceſſario diuina prouidentia nutrimini, quod de veſtitu, alijsq. ad hanc vitam requiſitis aſſerimus. Si ergo hæc vitę communis ratio vos principibus ſimiles efficit,& á ſordida conditione plebeiorum vilia tractantium eximit; profectò non ob rationes tantum diuinas, ſed ob politicas, ſi eo nomine vti liceat, eam alere, & perficere deberetis.

Ratio tertia. Ij, qui paupertatis votum fideliter obſeruant, Deum quaſi fideiuſſorem habent, cuius eſt curam gerere eorum, qui omnia reliquerunt, vt ex ipſius prouidentia dependerent. Ex quo efficitur, vt Clementiſſimus Deus monaſterijs, vbi nihil poſſidetur, diciturue proprium, liberaliter adſit, & in rebus etiam eſculentis augendis miracula interdum patret, quod è monaſticorum ordinum chronicis, & nouiſſimis quoque Congregationis noſtræ conſtat hiſtorijs. Si ergò, qui communis vitæ fidus cuſtos eſt, Deum

annonæ velut sponsorem habet, quomodò in eius vitæ studium non constanter incumbet?

Ratio quarta. Monachi ad peculia degenerantes infelicissimum hominum genus est, cum in claustris Deo dicatis easdem curas suscipiant, quas in matrimonio gessissent. Victum quippe vestitum, lectum, libros, supellectilem variam contrahunt, & cellas farciunt, tam solicite, ac seculares auari, qui rei familiaris sitim explere nequeunt. Cum hac verò solicitudine immodica, orationis, officij diuini, sacrificij missæ religio quomodò possit cohærere? Status profectò lugendus est, quem dum perhorrescimus, in communis vitæ cultũ impensius conspirare debemus.

Ratio quinta. Plurima, & sanè tremenda mala ex proprietatis vitio existunt, vt adulatio ad beneuolentiam secularium diuitum captandam, recursus ad consanguineos, iurgia in cœnobijs ob peculia ab alijs vsurpata, vel mutuò accepta, nec reddita, aliaq. eiusmodi, quæ nimis prolixum foret percensere. Cęterùm ea omnia ad hoc vnum caput compendio rediguntur, quod ea vitæ ratio in æternæ damnationis periculum suos sectatores adducit, & cõscientiam præsenti remorsu dilacerat. Hæc omninò vera, & testata sunt. Si ergo per vitæ communis studium hæc damna vitantur, & libertas à mundi seruitute, monastica perfectio, conscientiæ pax, & sempiternæ vitæ spes imis radicibus nixa multis incrementis augetur; qualis dementia foret, vitam hanc cælestem, vel minima ex parte deserere?

Omninò credendum videtur, neminem è vobis

tam

tam fore suæ salutis immemorem, qui proprietatis à sanctis damnatæ non modo vitium, sed & nomen non detestetur, sicut regulæ textus exigit. Nemo, inquit, aliquid sibi proprium esse dicat. Satis esse videbatur, paupertatis votum superius præscripsisse, cum quo nequeunt sensa, & verba illud vitium innuentia conciliari. Ex quo enim monachus paupertatis votum emisit, mendacij arguitur, si vel solo nomine sibi quicquam attribuat. Si ergo id verum est, quorsum hæc secunda tam exacta præscriptio, ne quis aliquid sibi proprium esse dicat? Nimirum res, de qua agitur, pondus habet immensum, debuitq. ad eius obseruationem, non operum tantum, sed verborum forma decerni. Ex quo inter nostros pronomina illa meum, & tuum horrori sunt, vestimentumq. quo induitur, non meum, sed nostrum quilibet appellat. Verum non hic consistendum est: vlteriusq. progrediendum, donec animus, vti fidus voti custos, ijs rebus, quæ per obedientiam ei concessæ sunt, & quibus maximè indiget, ita vtatur, vt cordi non hæreant, atque molestè non ferat, si repetantur, auferantur permutentur. Qui huc non pertingit, licet graui vulnere conscientiam non sauciauerit, facilè reuincitur, aliqua tandem vitij proprietatis initia libenter admittere, nolleq. venenatam mali radicem euellere. Radix quippè, quæ prodigiosam postea succrescit in arborem, affectus ille immoderatus est, quo monachus res concessas ità retinet, vt earum ablationem indignè ferat. Hoc initium est; neque enim timorati animi in scopulos statim grauium peccatorum

impingunt. Amor autem proprius vires sensim acquirit: & vbi satis creuit, procliue est, interdicente etiam Prælato, quod arctè adhæsit, nolle relinquere. Capite ergò vulpes paruulas: leues culpas ne serpere patiamini. Non enim vos, vt
Iosf.7. Iosue Achan, vel vt Petrus Ananiam, & Saphi-
Act.5. ram redarguo, sed ad profectum adhortor. Achan furatus est aliquid de anathemate, qui propterea lapidatus est, quod abstulerat, ignis absumpsit. Ananias, & Saphira de pretio agri venditi partem retinentes morte repentina sublati sunt. Anathema est, quicquid post nuncupatum paupertatis votum affectu immoderato vsurpatur: fraus est, quicquid abdicatis iam rebus, aliquo proprietatis sensu latente possidetur, Longè malum hoc propulsandum est, cautione rerum exiguarum præuia, quæ noxias herbas recenter ortas, vti falx exacuta resecet. Profectò tametsi alia non timerentur damna, quam diuini amoris decrementum, deberemus nos omnes minimas in hoc genere culpas, vt mortem ipsam refugere: verum est quippe illud Augustini meritò celebratum. Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat: cùm ad proportionem amoris rebus temporalibus impensi, nec ad maiestatem diuinam directi diuinus decrescat amor, fatuo mercatore aurum cœno permutante. Absit à vobis insania hæc eò execrabilior, quò plura secularia bona reliquistis, vel relinquere optastis. Mirum sanè foret, vt amore vilissimæ vestis ad vsum permissæ tàm vehementer caperemini, vt quædam vitij proprietatis vestigia

gia imprimerentur animis, qui pretiosa mundi ornamenta spreuerunt. Estote magnanimi mundi contemptores: nudi cum hoste nudo congredi satagite: & communem vitam à patribus nostris hæreditatis amplissimæ loco acceptam, legitimo rerum vsu conseruatam, & auctam ad successores nostros generosè transferte.

Exhortatio de recursu ad Priorem pro rebus necessarijs. Cap. XVIII.

OBseruatione profectò digna est regulæ præscriptio, qua decernitur, vt è communibus bonis, quæ christiana charitas in cœnobia intulit, Prior per se ipsum, vel per alium, cui curam demandet singulis iuxta ætatem, necessitatemq. opportuna prouideat. Hæc quippè sanctio Prælatos, ac subditos stricto quodam charitatis vinculo connectit, vt Prælati paterna prouidentia subditis adsint, subditi verò ad Prælatos velut ad parentes fidenter accedant. Omninò enim æquum est, vt nos qui vestri curam gerimus, vobis, qui omnia reliquistis, vt Christum sectaremini, parentum loco simus, teneroq. affectu non patris tantùm, sed matris ac nutricis functiones obeamus, vt olim Moses in populum, sicut scriptum est: *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* Num. 11.

Hic Dei sensus fuit, vt Moses ità afficeretur in singulos, ac si eos concepisset, vel genuisset. Hunc etiam sensum Apostolus expressit in filios, quos

cum

cum semel parturijsset, iterum se parturire professus est, vt in eo maternum affectum dignoscerent. Hunc & nos sensum erga vos habemus, & omnem operam pollicemur, vt officij nostri partes expleamus: qua de re plura subtexere non oportebit. Reliquum ergo sit, ad amoris fœdus vtrinque sanciendum, vt vos in quauis occasione ad nos fidenter recurratis, quod his rationibus Deo opitulante suadebimus.

Ratio prima. Quamdiù præsumus, institutio Dei est, vt paternam curam geramus. Si ergo Clementissimus Deus curam hanc nobis licèt indignis credidit manifestum sit, eos, qui parentes alios quærunt, vt obtineant ea, quibus indigent, Dei voluntati reluctari. Quocircà credendum non est, filios parentem declinantes Deo infesto vnquam fore felices.

Ratio secunda. Licet Prælatus monachus aliàs imperfectus sit, ex quo tamen cooptatus fuit, vt præesset, Deum velut sponsorem habet, vt ei lucem infundat, instruatq. ad subditorum bonum, quod gratiæ diuinæ genus alijs,qui minimè præsident,non æquè impenditur. Hoc certè nostis; hoc planè creditis. Si ergo quod proferimus, cognoscitur, & creditur; quonam consilio Monachus Prælatum adire recusat? E quibus lacunis aquam haurire gestit, qui fontem à Deo probatum nactus est?

Ratio tertia. Admittamus, Monachum Prælato non fidentem aliundè tandem necessarium aliquid elicere Prælati ipsius venia ad id retinendum impetrata. Nolumus enim de ijs agere, qui

sine consensu Prioris quicquam retinere certant, quos Deus inter nostros hucusque non permisisse videtur. De his ergo qui peiùs errant, minimè differimus, sed de ijs, qui aliquo denique obedientiæ nutu, quæ optant, habere contendunt. Rogamus nunc, ipsi norunt, se parùm fideliter, libros, vestesq. has, aut illas, habito ad alios, quos Deus non elegit, recursu obtinuisse. Quomodò ergo pacato animo illis vtuntur? Respondebunt, se tandem Prioris veniam impetrasse. Cęterùm mirabile est, Monachos hoc prætexere, quos oportet germanam obedientiæ notionem peperisse. Nonne apertè perspiciunt, licentiam illam penè coactam esse: & Priorem, ne ipsi peiora committant, conniuere fragilitati, qua laborant? Nonne vident, recursus illos, quos captant Priori displicere, veniamq. non spontè natam, sed extortam esse?

Ratio quarta. Qui re aliqua indiget, nec ad Prælatum recurrit, ei proculdubio iniuriam irrogat. Eo quippè ipso prodit, se non habere parentis loco Prælatum, neque credere, se habere Pontificem, qui ei compati velit: quod ab ea sinceritate, quæ bonorum Monachorum nota est, longè distat. Iam autem id à Prælato deprehendi, certo statuimus, cùm adeò stupidus non sit, vt modum hunc agendi parùm fidelem minimè dignoscat. Si autem dignoscit, facilè videt, se non, vt par esset, æstimari; atque adeò perspicit sibi iniuriam inferri. Quid autem boni contingat ei, qui patrem iniuria afficit, & in sententia persistit?

Ratio quinta. Prætexitur aliquid à Priore negari.

gari. Verùm adeò indomitæ passiones ferociant, vt monachus à prælato, quæ occurrunt, postulare nolit, quòd rem aliquam non indulserit? Hæccine est monastica perfectio, vt quia semel, aut bis chartæ folium non concessit, statuat monachus, se non vltra ad eum, qui Dei loco præest, recursurum? An si in seculo remansisset, parentes proprij omnia concessissent postulata? Profectò prælati nostri in hoc genere mitiores, ac promptiores, quàm parentes seculares esse solent; non in ijs dumtaxat, quæ ad necessitatem, verum etiam in ijs, quæ ad solatium pertinere videntur. Quapropter à vero monacho prælati fuga velut barbari, ac efferati hominis culpa censenda est. Quid expectatis, patres? Quid de productis rationibus vobis videtur? Omninò credendum est, nullam legitimam posse excusationem obtēdi ab ijs, qui ob raras, modicasq. repulsas terga prælato vertunt, noluntq. mitescere. Etenim non vsque adeò certum est, quicquid à monacho petitur, esse disciplinæ monasticæ, ipsiusq. postulatoris saluti consentaneum. Quid ergo mirum, si prælatus nonnunquam, quæ poscuntur deneget? An quia non indulget noxia, non impertietur salubria? Neque obstat, quod degeneres prætexunt, se iusta deposcere. Quid enim si eis iusta videantur, & Prior secus censeat? Vtra sententia non solum monasticè, sed ciuiliter præferenda est? Cęterum quid cunctor? Ij ex nostris, quos veris virtutibus absque exceptione pręditos esse, fama est; non ità cum prælatis disceptant. Non excandescunt, si petita non impetrent. Quinetiã

cum

cum prælatis paciſcuntur, vt pleraque abneget, atque in hunc modum exerceri ſatagunt, bene fidentes neceſſaria ſibi non defutura, quod ex voto ſuccedit. Conferte modo monachorum claſſes duas, alteram eorum, qui ex denegato leui poſtulato irritati, ad Priorem ſe in poſterùm recurrere nolle decernunt, alteram eorum, qui ſibi, quæ præſertim concedenda videntur, prohiberi contendunt. Claſſes circumſpicite, claſſium merita comparate. Quid ergo reſpondebitis? Nos iudicium feremus: Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Felices monachi, qui ſub agonis finem longum rerum interdictarum catalogum Chriſto cognitori legendum, vt more noſtro dicamus, exhibere poterunt. Quam cumulata mercede gaudebunt? Satis rem calletis: Honeſtum agnoſcitis. Percutiamus ergo coram diuina maieſtate ſuperius indicatum amoris, & monaſticæ perfectionis fœdus; vt nos ſcilicet paterno affectu vobis ad regulæ ſenſum inſpecta ætate, & neceſſitate res opportunas diſtribuamus, vos verò filiorum vſi fiducia, illas candidè poſtuletis, & ſi quid interdum negetur, aut prorogetur, boni conſulatis. Ac in hunc modum, pro decore domus Dei, erecti ſpe ſalutis æternæ dimicemus.

TEXTVS OCTAVVS.

Quod licet habere in communi.

ASinos autèm, ſiue mulos, prout veſtra expoſtularit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, ſiuè volatilium ad nutrimentum

Obſer-

Obſeruatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt ad exhortationes ſolitas.

DIci poterit de diuina erga nos in rebus quoque infimis prouidentia. Deindè poſſet diſſeri de vſu iumentorum ad modeſtã vecturam.

Exhortatio de diuina erga nos in infimis quoque rebus, prouidentia. Cap. XIX.

DVm pręſentis textus ſenſum contemplor, ſubit mentem illud, quod per Ieremiam Clementiſsimus Deus extulit.

Iere. 31. *Factus ſum Iſraeli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.*

Ita enim erga nos afficitur Deus, vti pater erga primogenitum affici ſolet, dum in rebus quoque minimis noſtri curam gerit, quod ex hac regulæ præſcriptione conuincitur. Legiſlator quippè diuino, vt credi debet; ſpiritu afflatus animalia alia ad vecturam, alia ad nutrimentum ægrotantium, vel etiã proſperè valentium haberi poſſe decreuit, vt ad omnem euentum monachis neceſſaria ſuppeterent, omnemq. proindè curam in Dei prouidentiam reijcerent. Textum explorate, & comperietis iumenta ad onera varia in clauſtrum inferenda, vel ad monachum aliquem pedeſtre iter facere non valentem, vehendum, volatilia verò, & animantia alia, vel occiſa in eſum ægrorum, vel viua in fœtum ouorum, & lactis ad ægros valentesq. paſcendos deſtinari. Quid ergo ſibi

sibi vult hæc tam accurata rerum modicarũ præscriptio? Ij, qui spirituales oculos nacti sunt, facilè animaduertunt, diuinę opus prouidentię fuisse, vt in textu adeò breui, & graui hęc Dei erga nos cura testata remaneret, vt nos, nostraq. omnia in eum referremus: quod subiectæ rationes euincunt.

Ratio prima. Deus Clementissimus certo hoc regulæ capite prælatos monitos voluit, vt ægris, beneq. valentibus, siue domi, siue foris, siue in aduersa, siue in prospera valetudine prouiderent ea, quæ sanè ad omnem euentũ opportuna videntur. Si ergo hæc iam præmonita, & prouisa sunt, quàm erit cæcus monachus, qui diffidentiæ morbo laborauerit, & sui curam in Deum minimè retulerit?

Ratio secunda. Hæc diuinitus inspirata regulæ pars obliuioni tradita nõ est, cum pręlati eam, quo ad opus est, fidissimè exequantur, vt quisque vestrum crebra experientia perspectum habet. Quid ergo quæritis? Quid cogitatis, si in animis vestris vlli solicitudini aditus patet? An esse vultis è numero illorũ, qui malè locuti sunt de Deo? Expendite, quanam ratiocinandi arte vsi sint. Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Hoc prouidentiæ genus planè mirandum iam ipsi experti fuerant, & tamen sic rogant: Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Ps.77. Stulta hæsitatio de potentia, aut voluntate Dei. Debuerunt sententiam in hunc modum contexere: Percussit petram, & fluxerunt aquæ: Ergo & mensam non solum poterit

terit parare, sed parabit. Vos ergo, nisi ex anteacta Dei prouidẽtia de futuris euentibus spem altam concipitis, in populum parùm fidelem degeneratis.

Ratio tertia. Ex quo monachus exemptum hoc vitæ nostræ genus profiteri cœpit, probauit illud oraculum.

Ps. 54. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*.

Liquidoq. cernit, id iuxta Dei fidelitatem, in minimis quoque rebus euenire. Etsi enim coruus appensos rostro cibos, vt Eliæ, ac Paulo primo Eremitæ non deferat, vsitatiore alio modo necessaria prouidentur. Quoties autem creditam Deo sui curam resumit, oraculum improbat illud, neciam à Deo nutriri cupit. Quis autem non iudicet, stultam esse hanc mentis mutationem, quandoquidem nullius creaturæ prouidentia diuinam valet æquare?

Ratio quarta. Bonorum monachorum mos est, vbi consanguinei, vel amici quicquam ægris, aut valentibus offerunt, illud respuere, ne humana prouidentia diuinam excludat. Cùm enim sui curam in Deum coniecerint, & prælatorum fidẽ in regulæ præscriptionibus explendis probauerint; nolunt iniqua commutatione seduci. Cur ergò non omnes hanc doctrinam sectentur? Quid meditatur, qui sui curã à Deo, & prælatis susceptam externæ prouidentiæ incertæ, & carptim succedenti non anteponit?

Ratio quinta. Rogamus, an qui curam gerit, iumenta, pecora, altiliaq. vobis nihil cogitantibus

bus parandi, in rebus grauioribus vos deserturus credatur? Respondebitis, omninò certum existimandum, ea quæ maiora sunt, & quæ statum decent nostrum, à Deo prouidenda. Si enim ipse libentius largitur spiritualia, quæ nobiliora sunt, quàm temporalia, quæ illorum dignitatem non æquant: cur non credatur largiturus ea temporalia, quæ alijs pretiosiora sunt, si deceant, & ad bonum status nostri conferant? Si ergo firmis rationibus nixi cęsetis, nihil ad status vestri decentiam, sine vlla vestra solicitudine defuturum; animaduertite, quam debeatis à curis superuacaneis abhorrere, & totum, quod estis, vni Deo rerum vestrarum curatori sacrare.

Credo equidem vos ita esse animo comparatos, vt & diuinam erga res nostras prouidentiam commendetis; & vos totos in Dei curam dedere velitis. Cęterùm non satis propterea fit officio, cui obnoxij estis ex tot beneficijs, quæ Deus quotidie confert, in ijs quoque rebus, quæ textu regulæ tactæ sunt. Quæ enim seculares summis laboribus ad se alendos hinc inde conquirunt, vos ab ipsis donata sine molestia vlla sani, ægriq. percipitis. Reddite ergo multæ tributum gratitudinis, qua fons diuinæ largitatis velut incitatus fluat vberius. Rem hanc attente obseruate, ne in errorem illorum incidatis monachorum, qui non magis diuinorum beneficiorum experientia molliuntur, quam si stricto iure illa eis deberentur; quibus æquo iudicio rependi solet, vt ea subtrahantur, & inopia simul ac spiritus ariditate vexentur. Alebat eos primum Deus, vt nutrix

infantulos: posteà ingratos ablactat. Non ne vobis videtur ablactandus, hoc est dignus, qui pastu priuetur, is, qui dum quotidianā Dei prouidentiam ad ægrotos, valentesq. solandos, & promptuaria implenda in cœnaculo, cibo sumpto, vt mos est, referri audit, nihilo gratior euadit, quàm si censum, quem è proprijs bonis instituisset, acciperet? Porro spirituales monachi dum eleemosynas recenseri audiunt, & officinas bene instructas circumspiciunt, multa animi demissione, & gratitudine, cor in gratiarum actionem attollunt, & procuratorem sedulum Deum appellant. Fidelis monachus crebrò recolit illud sanè suauissimum diuini vatis assertum,

Ps.22. *Dominus regit (seu pascit) me, & nihil mihi deerit.*

Nihil sanè deerit ijs, qui nihil præter Deum exquirunt, nā ijs, qui degenerant, omnia desunt, contingitq. illud, quod Hebræis olim accidisse Ieremias commemorat in hæc verba:

Thren. 5. *Aegypto dedimus manum, & Assyrijs, vt saturaremur pane.*

Ineunt enim cum secularibus tanquam cum Aegyptijs, & Assyrijs pacta, vt corradant necessaria; qui si Deo se totos deuouerent, haberent etiam commoda, & delectabilia. Nè ergo fœdera peregrina requiratis, sed sub Dei tutela requiescite, & vt ipse liberalissimus prouisor vobis adest; ita & vos omnem solicitudinem ad eius defæcatum amorem, & ardentissima cælestis patriæ vota referte.

Exhor-

Exhortatio de vsu animalium ad modestam vecturam. Cap. XX.

PArs prouidentiæ in Superiori exhortatione laudatæ est vsus animalium ad vecturam. Cum enim non omnes monachi pedites iter facere possent, expedire visum est, iumenta non modo ad onera gestanda, &[F] ad ægros, aut debiles vehendos haberi. Quod non temere præscriptum censendum est, cum regula in infimis quoque rebus cælesti consilio dictata videatur. Et quidem rationi, ac disciplinæ monasticæ mirifice congruebat; vt gens, quæ humilitatem à primæuo statu professa fuerat, in iis præsertim occasionibus, humilem disciplinam retineret, in quibus facilior lapsus, & excusatione dignior videretur. Perfacile quippè erat, vbi morbus, aut imbecillitas adesset, equitandi morem parum modestum induci: cui malo, anteuerso tempore occurrere legislator optauit, dum eam prouidit vecturam, quæ discipulorum Christi humilitatem, ac mansuetudinem deceret, & nihilò seciùs instanti necessitati, iuxta charitatis legem minimè deesset. Hæc antiqua institutio, & consuetudo fuit, vbi necessitas cogeret. Cęterùm lapsu temporis, & spiritus tepore apud nonnullos equitandi licentia, & abusus introductus est à quo per subiectas rationes vos priscæ sanctitatis æmulos cupimus dehortari.

[F] *sed*

Ratio prima. Status nostri decor, & proportio exigit, vt quemadmodum diuersam à secularibus vitam domi ducimus, hoc est, austeriorem,

parciorem, humiliorem, ita extra claustra, ab eorum moribus discernamur. Si ergo domi vescimur, cubamus, induimur modestius, quale monstrum erit, vt statim ac iter inchoamus, nulla in equitandi commoditate cernatur discretio? Profectò nullus hic ordo, nullus decor deprehenditur, sed aperta deformitas seipsam ostentat.

Ratio secunda. Ex abusu equitandi exoritur enormis expensarum abusus, quod nimis compertum, & vulgatum est. Quomodò autem cum emisso paupertatis voto ea licentia cohærere possit, cum alij eodẽ astricti voto aut pedites incedant, aut humilius vehantur, ne tot, tantosq. sumptus faciant? Porrò res hæc timoratos animos non leuiter vexat.

Ratio tertia. Qui secularium more equitare contendit in religione inopi; arte nõ prorsus syncera, aliundè viaticum elicere satagit, ac proindè multa committit, quæ spiritui non leuitèr officiunt. Res planè testata est: atque vtinam non adeò frequentèr accideret. Quis ergo huiusmodi abusum non perhorrescat? Quantò esset religiosius mori velle, quàm hunc abusum latè serpentem alere?

Ratio quarta. Qui hæc non curant, & leuibus de causis itinera frequentant, bonum suæ Congregationis nomen obscurant, deformi exemplo altò impresso, quod multis alijs modestè viam carpentium exemplis minimè deletur. Certum est autem, hoc culpæ genus ex ijs esse, quæ à Deo seuere puniuntur, cum commune bonum, & multis pijs laboribus partam totius

Con-

Congregationis existimationem deterat.

Ratio quinta. Licèt nulla ingruerent mala, rubor ipse, quo suffunduntur isti equites, vbi monachos alios æqualē, aut fortasse minorem austeritatem professos obuios habēt, deberet eos ab hoc proposito deterrere, vt necessitati, si qua vrget, humiliore vectura, quantū sat foret, occurrerent.

Has, quæ neruosæ videntur, rationes trutinate, patres, & instituti nostri decorem ne contemnite. Non est res adeò leuis, quæ reticenda, vel oscitanter prætereunda sit. Recolite antiquos maiorum nostrorum mores. Christum asello insidentem, in vrbem sanctam ingressum cogitate. Non vectus fuit equo phalerato, vel commodè strato; neque enim ferox animal, ornatus & commoditas mansuetudini, humilitati, & inopię congruerent. Mundus nostro eget exemplo. Opinio, quam de nostra simplicitate concepit, non sine spiritus iactura interiret. Nos insequentem fugimus mundum, vt olim Dauid pedester Absalonem. Rogo vos, qua fiducia Deum precabitur in medijs itinerum periculis, qui suam Congregationem vectura immoderata quasi diues secularis oppugnat? An Deus apostolicæ disciplinæ osorem tuebitur? Quid si in diuersorijs, aut densis saltubus monachus ad commode equitandū bene nummatus à latronibus obsideatur, & quicquid congessit, cedat in prędam? Quantò foret honestius, vt nudus, & inops reperiretur, & inuasores ad commiserationem flecteret? Non fert animus necessariam vecturam dissuadere, sed superuacaneam, & profanam, cui qui assuescit, Deo displi-

cet, commune bonum labefactat, & hominibus fit palam exosus. Notum est, nonnullos è nostris hac in re laudatissimos fuisse, qui vbi iniuncti à prælatis itineris labor incubuit, non conciderunt animo, neque quicquam disciplinæ monasticę aduersum admiserunt: atque vtinam horum numerus foret auctior. Vos verò, certo statuentes in omni disciplina, quæ perfecta, & omni ex capite absoluta sunt, à generosis animis exquiri, à lentis, & ignauis minimè attingi, neruos intendite, & selecto paucorum numero ascribi conamini. Post labores exhaustos quies porrò dulcissima succedet. Hanc plerumque meditamini, vt ad vincendam virtutis arduitatē roboremini. Ab exilio chaldæorum in charissimam Ierusalem gens, quæ iter laboriosum confecerat, alacriter reuersa est. Vos ergo viam arduā ne refugite, vt in supernam Ierusalem lætus, quem optatis, succedat ascensus.

TEXTVS NONVS.
De Oratorio, & cultu diuino.

ORatorium, prout commodiùs fieri poterit, construatur in medio cellularum, vbi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri potest.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu duci possunt ad exhortationes solitas.

POtest fieri sermo de legitima Missæ celebratione, & ministrantium officio. Potest etiam

differi

differi de ineundo modo aliquo ad fructum Sacrificij percipiendum.

Exhortatio de legitima Missæ celebratione, & ministrantium officio. Cap. XXI.

E' textu regulæ, qui modo lectus est, liquet, patres, olim non tot ad Sacerdotium promoueri solitos, ac ætate nostra. Ea quippè de causa decernere oportuit, vt in Oratorium quotidiè monachi conuenirent, & vni saltem sacro interessent. Nunc verò postquàm sacerdotum creuit numerus, antiquæ disciplinæ ratio nonnihil mutari debuit: atque ad eius mutationis proportionem exhortationis forma variabitur. Dicemus ergo de legitima Missæ celebratione, vt tam Sacerdotes, qui plures iam sunt, quàm alios altaris ministros, ad grauissimas functiones ritè obeundas exhortemur, quod sanè officij nostri ratio exigit. Quanti verò momenti sit legitima iuxta ritus ecclesiasticos celebratio, ex his rationibus expendite.

Ratio prima. In veteri testamento planè mira præscriptio fuit sacrorum rituum, quibus Aaronici Sacerdotes, alijq. templi ministri fungi iuxta legem scriptam debuere. Si ergo Deus ab illis sacerdotibus, & ministris tam exactam ceremoniarum obseruationem exegit; quàm erit æquum, vt à noui testamenti sacerdotibus, alijsq. altaris ministris exacta rituum cognitio, & exequutio requiratur? Vos iudices estote, & vtrosque sacerdotes mutuo conferte.

Ratio secunda. Decor domus Dei ab hominibus Deo consecratis impensè diligendus est, ità vt ex eo amore zelus existat, qui indignos sacro ministerio actus ferre nequeat. Cùm ergò decor Ecclesiæ, quæ Dei perampla domus est, in sacerdotum, aliorumq. initiatorum officijs maxima ex parte consistat: manifestũ efficitur, eos si venustè officijs perfungantur, decorem illum alere, & augere, si inuenuste minuere. Quis autem eum decorem curet, si monachi rerum diuinarum studio intenti negligant? Rem hanc perpendite.

Ratio tertia. Ex legitima rituum Ecclesiasticorum obseruatione, vbi ad altare omnia tempestiuè, grauitèr decoreq. præstantur, Christianus populus ad pietatem vehementer inflammatur; & è contrario si neglectum deprehendat, indignatur acriter. Quid ergo cogitat monachus sacerdos, diaconus, vel alius altaris minister, qui per ignorãtiam, vel inertiam sacras ceremonias, non vti decet, exercet? Profectò nullam excusationem videtur posse prætexere.

Ratio quarta. Monachi ipsi, quantumuis inertes si principi alicui in seculo ministrarent, curiosè satis ritus palatinos edisceerent, & vbi, quomodoq. standum, genuflectendum, surgendum, caput aperiendum, mensæ inseruiendum, aliaq. obsequia reddenda, non oscitanter animaduerterent. Cur ergo in obeundis sacris altaris ritibus non vsque adeò decoris curam gerant, & deformiter errent? Regina Saba obstupuit, vbi Salomonis aulicos tam venustè sua obeuntes ministeria vidit. Si ergo famuli Salomonis tam exactè

regi

regi obsequuntur suo; cur Christi famuli non ità accuratè infinitæ sui regis maiestati ministrent?

Ratio quinta. Aetate hac hæretici. Missam,& ritus alios ecclesiasticos acerrimè oppugnãt: quo ex capite, omnino æquum est, veros ecclesiæ filios ad illud præsertim tuendum animari, quod validius impugnatur. Quid ergo respondebit Sacerdos, qui indecore celebrat, & quod ad se attinet, sacrificium illud infinita veneratione dignum dehonestat?

Ratio sexta. Etsi nulla suppeteret ratio alia, quàm quæ è diuinę Eucharistię præsentia petitur, deberent vniuersi sacerdotes, ac ministri alij multam sacrarum ceremoniarum peritiam comparare, & modos officij exercendi maximè decoros addiscere, vt Christo sub sacramenti velo latenti cultum afferrent. Si enim ratio hæc eos non vrget, quem Dei sensum nacti sunt?

Nemo adeò ferus esse posse videtur, qui his rationibus auditis non mitescat. Non enim de bonis alijs minùs pretiosis, sed de Ecclesiæ bono, de populi solatio, de christiani sacrificij aduersus sectarios veneratione, & de Christi demum gloria sermo fit. Benè hoc nouit nostræ salutis dirissimus hostis, qui nihil ardẽtiùs eniti videtur, quàm vt altaris sacramentum, si valeat, exterminetur, sin minùs, tractetur indignè. Quod vt obtineat, via nulla directior, quàm sacrorum rituum neglectus, sacerdotibus, clericisq. alijs animo impressus, quo vires acquirente, altaria, vestesq. & vasa sacra sordent, intolerabilisq. euadit sacrorum ordinum abusus. Sat est, alios, quos neque Dei

amor, neque domus Dei zelus extimulat, Christo rerum inspectori sorduisse, eiusq. irã in loco maximè, digno sanctoq. irritasse. Vos verò, qui mundum aspernati estis, & ad Congregationem nostram, quæ in offerendo altaris sacrificio decoros semper modos sectata est, diuinitus vocati estis, legitimas ceremonias mente retinete, & vel apicem vnum ne spernite. Si sciretis, quo pietatis affectu populus ardet, vbi vos aspicit vestibus sacris ornatos sedatè, & grauiter in locum sacrificio destinatum progredientes, thus venusto brachiorum adolentes motu, eloquia casta distincta, & ad intelligendum apposite proferentes, singulariq. modestia, absque nimia cunctatione, vel celeritate è latere in latus altaris transeuntes, exhibitis intimæ religionis signis sacrã hostiam, & calicem subleuantes, aut deponentes, aliaq. vel simplici, suauiq. cantu, vel silentio sine nota inertiæ, expeditione temperata præstantes: Si sciretis, inquàm, dum hæc expletis, quàm piè populus afficiatur; multò altius officij vestri æstimatio, & legitimæ functionis cura imprimeretur. Magna sanè voluptas à frequentissimo populo Israel in dedicatione templi percepta fuit, magna extitit, valdeq. pia animorum affectio, cum sacrarum ceremoniarum ordo, & officiorum functio concinna spectaretur, vbi, vt sacer habet textus,

2. Paral. 7. *Sacerdotes stabant in officijs suis, & leuitæ in organis carminum Domini.*

Cæterùm sacratior est ordo vester, patres, & absolutior est Ecclesię quàm synagogæ pulchritudo: Formosior est noua, quàm vetusta Ierusalem,

noua

noua ſcilicèt, quæ à Deo parata eſt, & ſicut ſponſa ornatur viro ſuo Chriſto, qui concinnitate eccleſiaſticorum actuum, & venuſto explendorum officiorum modo mirificè delectatur. Quid enim gratius, ac iucundius ſponſo, quàm ſponſæ decor, & ornatus? Non ergo ob ſolum chriſtiani populi ſolatium, & cumulatæ pietatis incrementum, ſed ob Chriſti redemptoris noſtri gloriam, & eam, quàm è decore Eccleſiæ percipit voluptatem, in ſtudium ſacrorum rituũ debetis incumbere. Certate pro forma hac ſpectabili eccleſiæ, cuius filij minimè degeneres eſtis. Functiones ſanctas religiosè obire pergite, vt diuinus amplificetur cultus, quem Clementiſsimus Deus alta mercede repenſet.

Exhortatio de modo ſacrum celebrandi, & audiendi ad eius fructum percipiendum. Cap. XXII.

NOn inculpatè agit artifex, qui eius, quam profitetur, artis exercendę modũ aliquem ad lucrum, quod captat, appoſitum minimè excogitat, vel à peritioribus ediſcit. Quocircà mirum eſt, quàm ſint reprehenſione digni ſacerdotes plurimi quotidiano ſacrificio aſſueti, qui cũ inutilia pleraque perſpecta habeant, officij tamen ſui vtiliter explendi modum prorſus ignorant. Si ab eis quærantur ſubtilia multa, non theologica, vel philoſophica tantum, ſed mathematica, & politica, nodos ſoluunt, & magnam ſui admirationem excitant: vbi verò de ſacrificij fructu ſermo inſti-

instituitur, respõdebunt fortaſsè, quid facto opus ſit, cæterùm de modo eis vſitato rogati, mirabilem planè ſtupiditatem exhibent. Quicquid autem alij ex ſuæ ſalutis incuria cogitent, vos, patres, ſtrictiſsimo vinculo religati eſtis ad rei tantæ momentum ponderandum, & modum appoſitiſsimum ineundum, quo fructus optatus ex ſententia ſuccedat: quod proportione ſeruata de ijs, qui ſacro miniſtrant, omninò ſentiendum eſt. Vt ergo immenſo debito à vobis fiat ſatis, ſubiectas rationes audite.

Ratio prima. Sacrificij altaris dignitas infinita eſt, cum ibi Chriſtus æterno Patri incruentè immoletur. Quæ nam ergo rei præmeditatio, qualis mentis attentio, qualis affectus ſacrificio tanto debebitur? Nonne perſpicuum eſt, angelicam puritatem, & ſeraphicum affectum requiri? Si ergo cælitum affectio à ſacerdote per rei meditationem, & præſtitam officio ſuo attentionem paranda foret; quid pœnæ non merebitur, qui ad altare inconſideratus accedit, & perfunctoriè ſacrificium offert? Quid cenſendum de illo, qui per plateas animo vagatur, verba obtruncat, accelerat, & officio vix expleto recedit?

Ratio ſecunda. Chriſtus dum ſe Patri immolandum exhibet, eo ipſo cum ſacerdote liberaliſſime agit, nimiumq. obtuſus eſſet, qui ex functione illa lucrum maximũ, ſacerdotem referre poſſe dubitaret. Quid enim obtinere nequeat, cui infiniti pretij ſacrificium creditum eſt? Si ergò lucri tanti occaſio adeſt? quomodò ſacerdos mentis compos non ſe ad id acquirendum cæleſti auxilio

xilio præuentus adaptat? Qualis dementia est, rem hanc planè grandem æstimare nolle?

Ratio tertia. Apud mortales felix existimatur, qui peculiarem principis audientiam impetrat, cum maior ibi, quàm in publica principis videatur propensio, & ad peculiaria oratoris negotia attentio quoque sit maior. Cùm ergo Sacerdos ad peculiarem, vt more nostro dicamus, diuinæ maiestatis audientiam oblato munere gratissimo admittatur: quæ nam ratio alia sterilitatis extremæ, quam in plerisq. Sacerdotibus cernimus, esse possit, quàm ineptus sacrificandi modus, quo diuinæ bonitatis fontem tam sæpè retardant? An possit ambigi, eos feliciores futuros, si idoneo modo sacrum facerent?

Ratio quarta. Sacerdos non sacrificat quouis modo, sed sacrificium peragit sacræ hostiæ, calicisq. sumptione, vbi nisi per ipsum stet, initur vnio planè mirabilis, qua in Christum arcana velut transformatione mutatur. Si ergo tanti boni desiderio se flagrare sacerdos dicat, & aliunde ad illud diuinæ charitatis opus non se apto comparet modo, ante, & interim dum ad altare agit, quis ei fidem habeat? Quis eum impostorem non appellet? At sibi nocet ipsi: Deus enim offensus minimè seducitur, seque ipsum vlciscetur.

Ratio quinta. Qui rerum diuinarum sensum adepti sunt, inexplebili auiditate modos dignè sacrificandi, ac sacramentum sumendi passim excogitant, & de re tanta cum viris sanctitate eximijs anxie conferunt, partim rei æstimatione, partim succedentis fructus experientia permoti:

neque

neque quicquam tam arduum, durumue proponitur, quod successuri prouentus spe non peruincant. Quid ergò causæ subest, cur tam multi sacerdotes nō accuratius de modo fructuose sacrificandi cogitent, quàm si de prophano pane comedendo in altari ageretur? Credendum procul dubio est, vix ab vllis alijs peccatoribus grauiorem iniuriam, quàm ab indignis sacerdotibus Christo irrogari. Credendum etiàm, ingratos, & stupidos boni sui censores esse sacerdotes illos, qui licèt culpis mortiferis fœdati ad sacrificium non accedant,ità tamen lente, & incuriose accedunt, vt cælestium donorū pluuia neutiquàm perfundantur. Non enim in sacrificiū, aut sacramentum, sed in sacerdotem inopia hæc referenda est.

Contemplamini modò, patres, sacerdotes per sexennium, & decennium celebrare solitos. Contemplamini & horrete. Pastus pinguis est. Christi corpore pascuntur: fœcundum calicem hauriunt. Quænam ergo est macies hæc spiritualis, qua concidunt, & in sinu matris Ecclesiæ calamitosius, quam paruuli in excidio Ierusalem, velut fame intereunt? Illi matribus dixerunt,

Thren. 2. *Vbi est triticum, & vinum?*

At hi non valent vllam excusationem tremendæ sterilitatis afferre. Suppetit abundè panis. Cur ergò non bene nutriuntur, & vegetiores euadunt? Et quidem si ad nutrimenti proportionem vires augeri debent, cum illi diuina esca, potuq. alantur, quomodò vires, hoc est virtutes diuinas, minimè pararunt? Lugenda profectò res est.

Vos ergo aliorum malis eruditi, & cautiores effecti,

effecti, siue ad sacrificium, siue ad solam eucharistici panis sumptionem accedendum sit, vires animi omnes prius colligite, & humillime diuinam maiestatem precamini, adaptet animos vestros ad eum è tanto bono fructum reportãdum, quem dignatio tanta pollicetur. Reijcite terrenas, & importunas cogitationes, & corda in cælestem illam mensam intendite. Actus plurimos fidei, spei, amoris,& contritionis producite, quibus animus, velut argenteum vas artificis ictibus conformetur, vt balsamum pretiosissimum excipiat. Hostiam illam æterno Patri infinitè acceptam, pro ante actis peccatis, pro beneficijs acceptis, pro impetrandis alijs, & in holocaustum suauissimum quadruplici distinctione offerte, & sumptum cibum planè vitalem pensitatione multa tanquàm sani stomachi calore percoquite. Hęc obseruate, & sanctorum exemplis insistite.

Neque verò vobis, quod suademus, durum vllo modo videri fas est: res quippè vestra agitur: lucra hic propria, gaudia propria conquiritis. Si semel, credo equidem, spiritualis dulcedo à vobis proprio in fonte, vt ecclesia canit, gustaretur, incredibilem sui sitim excitaret, efficeretq. vos perquam sedulos bonorum propriorum curatores. Quàm citò claudi more ceruorum exultarent! Quàm alacriter difficultatum repagula perrumperent, qui priùs lètè incedebant! Quàm profundas mundi despectus radices defigeret! Quàm vehementer è saucijs amore pectoribus desideriorum piorũ scintillæ dissultarent! Quàm longum sacrificij præmeditationi, & gratiarum

actioni

actioni tempus impenderetur! Quàm aperta totius veteris hominis in nouum, qui est Christus, mutatio, quæ ad permouendos animos efficacissima foret, se spectandam exhiberet! Ignauiam ergo omnem Christi milites excutite. Pastum saluberrimum, & dulcissimum vniuersis mundi honoribus, lucris, commodis anteferte. Comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Crescite, vt roboremini cibo grandium, & è mensa illa leonibus fortiores denique recedite. Cæleste vobis precor lumen, & robur, vt rei, de qua dixi, digna æstimatione permoti monita nostra possitis explere.

TEXTVS DECIMVS.

De Capitulo, & correctione fratrum.

Dominicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de custodia ordinis, & animarum salute tractetis: vbi etiam excessus, & culpæ fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate media corrigantur.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu peti possunt ad exhortationes solitas.

Poterit agi de disciplina in capitulo à monachis obseruanda. Poterit quoque agi peculiariter de correptione humiliter ferenda.

Exhortatio de disciplina in patrum consessu, siue Capitulo obseruanda. Cap. XXIII.

EX antiqua patrum nostrorum traditione per hebdomadas singulas in cœtu monachorum sermo fieri, & de promotione virtutum, abusuũq; extirpatione agi consueuit. Quo ex actu ad monasticam disciplinam alendam in primis apposito fructus porrò vberrimus perceptus est, vt merito à viris prudentissimis magni fiat, eiusq. conseruatio inter potissima status nostri bona reponatur. Quocircà de disciplina in eo retinenda iuxta sensum regulæ, verba facere rationi, & pietati consentaneum erit. Quia verò fructus, quem optamus, ex voto minimè succedit, nisi animi ad illum tractatum à regula præceptum comparati accedant, & ei mites ac humiles intersint; hoc ipsum ad hodiernũ sermonem à vobis præsertim postulamus, vt doctrina hic altè concepta diutissimè permaneat. Hoc ergo animorum affectu præuio, quanti sit ponderis hunc actum magni facere, & eius ritibus benè vti, ex subiectis rationibus iudicare poteritis.

Ratio prima. Nemo è vobis adeò instituti nostri ingnarus credendus est, qui tractatum illum de custodia ordinis, & animarum salute à regula imperatum non censeat rem planè grandem, & ad cõmunem totius Congregationis, priuatumq. animi sui bonũ opportunissimam. Si enim actum legum custodiæ, ac spirituali saluti, maturo consilio destinatum non maximi pendit, quo spiritu

afflatur? Profectò actus grauissimus, & saluberrimus est; debetq. à Monachis, si quo regularis obseruantiæ zelo excitantur, quauis difficultate victa sustineri.

Ratio secunda. Diuturna experientia compertum est, tractatum illum, velut ignem quendam purgatorium, valdè tamen mitem esse, quò culpæ aliàs admissæ expiantur, vt commune cœnobij corpus vigeat, & niteat. Incredibile quippè videtur, quam sit corpus illud robustum, & candore virtutum splendidum, vbi frequenti hebdomadarum singularum cœtu, de illo curando, & à noxijs velut humoribus expurgando confertur. Quod apertiùs multo perspicitur, si explorentur cœnobia duo, in quorum altero capitulum raró, in alterò crebriùs celebretur: illud enim syluescit, & velut spinetis succrescentibus horret, hoc viridarium benè cultum representat. illud concidit, & tanquàm vitali humore destitutum arescit, hoc plantaria in fastigium validè assurgentia procreat, & humectat. Nimirum in illo arentia germina minimè resecantur, in hoc vel arida, vel superflua sylua præciditur. Quis ergò è vobis cœnobium hoc nostrum sano, & vegeto corpori, aut horto benè culto, quàm corpori ægro debilique, aut syluæ arenti nolit esse similius? Rem æquis bilancibus appendite.

Ratio tertia. Antiquis, ac recentibus constat exemplis, exedram, seu Capituli locum dæmoni exosum, & intolerabilem esse, cùm quicquid ferè alibi à Monachis lucratur, ibi deperdat, quod ipse S. Dominico dixisse fertur, cùm cœnobij offici-

nas

nas lustrasset, libensq. ingressus fuisset, monitusque, vt in locum illum introiret, validissimè reluctaretur. Si ergo capitalis inimicus noster perspecta rei experientia coactus capituli bonum extollit; quo supplicio dignus foret Monachus, qui illud pro virili parte sua non aleret, eoq. ad salutem vteretur?

Ratio quarta. Quicquid in consessu nostro fit, totum spiritu Dei plenum, & multo charitatis melle conditum videtur, si eius institutio, Prælatorum mens, & mos, & patrum modestia spectetur. Etsi enim nonnihil amarulentum proponatur, aut alicui obijciatur; adeò tamèn leue est, & tam leniter profertur, vt qui ea de causa actum illum detrectaret, non sanè Monachus, sed miles aliquis cuiusuis admonitionis impatiens appellari deberet. Si ergò, quæ subamara videntur, tanta dulcoris copia temperantur, & ex alijs capitibus actus ille pietatis feracissimus est; quàm acer esset boni communis hostis, qui non illum amaret, ac promoueret?

Ratio quinta. Interest profectò multum, vt in creberrimis vitæ huius ambagibus, & lapsibus sit stata aliqua & frequens medicina, qua vti possimus. Interest, vt à futuris casibus præuijs monitis præseruemur. Interest, vt passim obrepentes extirpentur abusus. Interest, vt spiritus iugi intentione fatigatus roboretur. Cùm ergo bona hæc omnia abundè proueniant in actu illo, quem Clementissimus Deus iuxta Euangelicam doctrinam, prosperare creditur, cùm sint ibi multi in eius nomine congregati: dici vix potest, Mona-

chum aliquem vel communis boni, vel sui curam gerere, qui actum tam pium, qua hucusque constitit, integritate praestare non satagat, & ritus illos è Christiana humilitate ortos minimè probet, ac exerceat.

Vidistis, patres, quàm referat, actum hunc, quem ex regulae praescriptione, ac maiorum nostrorum laudatissima consuetudine celebramus, à vobis magni pendi, & inuiolatè obseruari. Communis boni, propriaeq. perfectionis pondus pensitastis. Quid ergo superest, nisi vt doctrinam vobis à primis renunciationis vestrae diebus traditam exequi pergatis eò accuratiùs, quò maiores temporis lapsu vos oportet fecisse progressus? Didicistis sanè, Monachum statim ac signum ad hunc actum dari animaduertit, debere se comparare, & animo demisso diuinam precari maiestatem, vt ex concione, caeterisq. ritibus eum, quem expetit fructum referat, puriorq. ex eo quasi balneo prodeat, quàm ingreditur. Didicistis, Monachum aures mites ijs, quae monentur, praebiturum, & cuicumque tandem aptentur, vsurum se illis non secus ac si ipse priuatim instrueretur. Didicistis, quo candore cuncta promantur, & quàm sit turpe ob lenia monita perturbari, aut maestitiae pondere deprimi. Haec, aliaq. similia didicistis. Nihil ergo noui obtrudimus, nihil noui oneris inferimus, sed pro Christo legatione fungentes, & officio ipso astricti obsecramus, vt hoc ipsum, quo sub ingressum imbuti estis, perseueranter seruetis.

Introspicite vos ipsos, & dicite, quid de Mo-

nacho

nacho miti, & docili ſentiatis, qui hoc in loco quicquid profertur, tanquàm oraculum cœleſte accipit, ſyncerè interpretatur, alacriter exequitur? Dicite rogo, quid de illo opinemini? Omninò credendum, eiuſmodi monachum ſpiritualibus bonis diuitem à vobis exiſtimari. Si enim locus hic ad culpas alibi contractas expiandas dicatus eſt; ſi eſt meritorum ferax, ſi ad futuros armat inſultus: negari nequit, quin monachus occaſione hac piè, ac prudenter vti aſſuetus locupletior multò, quàm alij lenti pugnatores, euadat. Negari profectò nequit, quin Clementiſſimus Deus leuia errata facillimè illi condonet, gratiamq. vbertim refundat. Si enim publicano, ſtatim ac culpas fateri cæpit, tàm liberaliter indulſit; ſi ſeruo nequam procidenti immenſum decem millium talentorum debitum dimiſit; quàm proparte exiſtimatis, monacho leuiora deprecanti, ſeſeq. coram diuina ipſius maieſtate, totoq. patrum conſeſſu hoc in loco proſternenti veniam conceſſurum? Cæterùm ipſe, qui cordium inſpector eſt, nouit, quo quiſque affectu hiſce proficiendi occaſionibus vtatur. Prudentis, ac pij monachi animo hæret illud regij vatis votum:

Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna. Pſ. 138.

Quaſi ad ſenſum monaſticæ diſciplinæ in hunc modum enunciaret. Non detrecto capituli actum; nolo eſſe hæres Adæ, qui à te monitus cæpit excuſationem prætexere. Precor potiùs, vt à te animorum cognitore examiner: oro, vt opera

discutias mea; vt si quid non æquum latet, corripiar, & corrigar, ne à via exorbitem, quæ ad æternitatem ducit. Quid expectatis vltra? Hoc est votum monacho mundi contemptore, suarum domitore passionum, cæliq. expugnatore dignum. Hæc est inuicta animi fortitudo. Hac planè ratione, in hunc locum ingredi, hac ipsa ceremonias omnes humilitate, ac mansuetudine Christi subnixas exercere debetis, vt copiosus cælestium bonorum prouentus existat.

Exhortatio de correptione humiliter ferenda. Cap. XXIV.

DE correptione animo demisso accipienda dicturus, præmitto Apostoli monitum à bonis Prælatis fida memoria seruatum:

Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.*

Correptio quippè leniter inferenda est, quod me, dum præsum, obseruaturum ope diuina polliceor. Illud verò hac exhortatione digerendum est, quod ad vos attinet, vt scilicet correptionem humiliter feratis, iuxta doctrinam, quam Christi schola commendat. Nostis consessum hunc per hebdomadas singulas celebrari solitum, ad Congregationis totius, & cuiusq. vestrum bonum esse opportunissimum, & planè suauem. Vnum dumtaxat videtur nonnihil austeritatis præseferre, correptio videlicet leuium culparum, qua quis à dæmone extimulatus posset abuti, ne actum

hunc

hunc omninò probaret. Quapropter ad rem erit, rationes promere, quibus correptionis humiliter acceptæ bonum ob oculos positum animos vestros, ad eam non modò non refugiendam, verùm expetendam permulceat.

Ratio prima. Medicus amaram potionem præscribens, minister porrigens admonensve, vobis minimè exosi sunt, imo grati, atque dilecti, cùm ad eam, quam optatis, sanitatem acquirendam vtilia quædam instrumenta sint. Cùm ergo Prælatus corripiens, vnus, vel alter è consessu admonens ad perficiendam animi salutem, leui quadam purgatione, tanquam spiritualia instrumenta concurrant, quænam obtendi potest ratio ad correptionem indignè ferendam? Profectò nihil excipi posse videtur, nisi praua ægrotandi voluntas, quam Deus auertat.

Ratio secunda. Meritum bonorum monachorum illatas correptiones patienter ferentium, est planè maximum, non ex eo tantùm capite expensum, quod ad virtutis exercitium pertinet, sed ex adiuncto totius consessus exemplo, quod est profectò efficacissimum. Habet enim nescio quid viuæ cuiusdam energiæ illa intrinsecus nata exteriusq. sine simulatione testatà humilitas, cuius vi pectora quoque dura molliuntur. Si ergo oblata correptionis occasione meritum ex profectu proprio, & aliorum pia commotione insigniter augetur; profectò parùm sollicitus spiritualium diuitiarum mercator est, qui corripi detrectat, vel monitionem non lætus admittit.

Ratio tertia. Seculares intemperantes, nego-

ciorumq. gestores vbi à suis præfectis, aut amicis monentur, animaduertentes id in ipsorum bonum cedere, patienter agunt, quòd sibi omninò persuadeant, si correpti excandescant, se boni nominis iacturam facere, neque ad vllum in Rep. magistratum gerendum, vel negocia expedienda idoneos censeri: immites quippe ex communi sententia, neque consilio, neque præfecturæ, neque negociorum expeditioni apti creduntur. Quomodo ergò monachus ad opus vllum egregium idoneus existimabitur, qui correptus perturbatur, nequitq. sedari? Sanè sibi ipsi, erga futurum Dei præsensq. hominum iudicium, vehementer nocet.

Ratio quarta. Dauid à Nathan correptus humillimè acquieuit. Petrus quoque à Paulo reprehensus mira animi demissione correptionem accepit. Cur ergo monachus à Prælato admonitus indignetur? An iustitiam prætexit? Profectò tametsi foret innocens, eo ipso quod innocentiam tueri, & obiectam leuem culpam reijcere satagit, à bonorum consuetudine recedit, & apud patres confidentes parùm proficit. Nimirum iustus accusator est sui, Deoq. sui defensionem, vbi oportuerit defert.

Ratio quinta. Christus Redemptor noster accusatus tacuit, cùm de innocentis vita perdenda ageretur. Quomodo ergo monachus leuis culpæ admonitus correptionem suauem recusat? Quomodo mutato vultu eum, qui monuit, non tam beneuole, ac ante admonitionem intuetur? Nonne hic apertè proditur animus Christi Schola-

pro-

proculdubio indignus, qui è domicilio iustorum expelli meretur? Nonne manifestum sæcularis animi sub monastica veste impostor iste gestat inscriptum?

En patres, quid rationes allatæ conficiunt Ecce quò procurrit monachus delicatus, ac degener, qui statim ac monetur, resilit, atque repugnat. Eò certè progreditur, vt non monasticam solùm, sed Christianam disciplinā videatur abijcere. Si enim iuxta Euangelicam doctrinam non monachis modò, sed hominibus vniuersis promulgatam, facies percussa aptanda nouo ictui est, quid excusare poterit monachus, qui ne capillum attingi æquo animo fert? Pessimè quidem agunt, qui hoc loco, vel alibi dum corripiuntur, aut postmodùm, conceptum iræ, aut indignationis sensum indicant; neque credi potest eos, vt par est per arctā perfectionis viam expeditè progredi. Porrò inter nostros mos inualuit, vt culpæ confictæ monachis imputentur ad humilitatem, ac mansuetudinem experiendam, vt scilicet pateat, qua mente correptionem accipiant, an se ab obiectis purgare, & iustitiam propriam asserere velint; vitioq. vertitur, quicquam loqui, vllumve perturbati animi signum exhibere. Nostis hoc. Rogo ergo nunc, an de hac doctrina exequenda cogitetis? Imò rogo, an de Christo imitando constanter agatis? Audite Euangelica verba hæc:

Et cum accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta aduersum te dicant testimo- Matt. 27.

ſtimonia? Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer.

Verba hæc feras immanes lenirent, ferrea pectora mulcerent. Noſtis, quis & à quibus accuſaretur. Chriſtus à Iudæis. Cur ergo non reſpondit? An ſuæ iuſtitiæ conſcius non fuit? An non ei luce meridiana patentior fuit accuſatorum peruerſitas? Quod ſi criminatoribus reſponſum reddere abnuit, Pilato ſaltem non ità male affecto cur non reſpondit? An mundo nocuiſſet Chriſti reſponſio, qua ſuam tueretur iuſtitiam? Animaduertite, patres, quid exemplar noſtrum Chriſtus in hac re porrò grauiſsima nos docere voluerit. Ne Chriſti ſenſum ad excuſandas excuſationes in peccatis detorquete. Vtinam arguti quidam monachi diſputatores, ſuiq. defenſores reſipiſcant. Mirum eſt ſanè, eò vſque aliquos excæcari, vt cum efficaciſsimas rationes, & exempla ad virtutem colendam eis propoſita reijcere nequeant, ſemper tamen quoties corripiuntur, Chriſto diſsimiles euadant, excipientes videlicet hanc illamue circumſtantiam; ob quam æquum ſit, iuſtitiam in particulari euentu propriam aſſerere: ex quo efficitur, vt penè nunquam à Prælatis, vel mitiſsimè corripi queant. Hæccine eſt doctrina, quæ in Chriſti ſchola demum ediſcitur? Recedite à conſuetudine taurorum iſtorum, qui cornibus pugnant, vos, qui eſtis agni, manſuetudinem profitemini. Recolite agnum illum, qui coram tondente ſe obmutuit, tacitiq. non modo ſalubria monita, ſuaui Dei ſpiritu deprompta. verum & correptiones acres accipi-

cipite, æternæque salutis negocium solicitè gerite.

TEXTVS VNDECIMVS.
De Ieiunio fratrum.

IEiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruetis à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu peti possunt ad exhortationes solitas.

AGi potest de ieiunij bono. Mox differi poterit de iusta causa ieiunium relaxandi.

Exhortatio de bono Ieiunij. Cap. XXV.

CIbi vetiti esus malorum, quibus genus humanum obruitur, origo fuit, vt ex sacra Genesis historia nostis. Noluit videlicet primus parens noster à fructu prohibitæ arboris abstinere, immensumq. proinde nobis bonum ademit. Quocirca ad tam enormis lapsus correptionem ieiunium in morem inducere decuit, cuius obseruatio in nouo præsertim testamento viguit, quod in plerisque ordinibus monasticis perspicere potestis, vbi præter leges ieiunij ecclesiasticas, aliæ de eodem bono latæ sunt, quibus diuturnior eius custo-

custodia indicitur. In ordinum istorum agmine recensetur noster, cuius ieiunium ab Exaltatione Crucis vsque ad Pascha procurrit. Cùm ergo lex hæc sancita fuerit, & eam explere intersit plurimùm, ieiunij bonum rationibus multis commendandum est, vt animis hæreat.

Ratio prima. Licet multis, ac sæuissimis bellis in hac mortali vita passim infestemur, exploratum est tamen, carnis prælia omnium esse periculosissima. Cùm ergo ad ea vitanda, vel victoriam comparandam, ieiunij remedium sit maximè appositum; nemo victoriæ cupidus illud non probare, & quantum per vires licet, obseruare posse videtur. Et quidem rationis huius energia inde patet, quòd subtracta tentationum materia, licet nonnulla excitentur bella, non sunt æquè grauia, & periculosa, ac illa, quæ corpore bene pasto ingruunt, & vires acquirunt.

Ratio secunda. Qui ieiunio deditus est, mentis aciem non obtundit, neque grauat, quò minus apta semper, ac expedita sit ad negocia gerenda, variosq. virtutum actus exercendos. Quo sanè bono carent, qui corpus epulis farciunt, seq. ipsos adeò hebetant, vt vix rei alicuius discussioni pares sint, & velut inanimes trunci, ad opera homine digna per horas multas inepti desideant. Si autem deformitas hæc in secularibus deprehensa displicet; profectò disciplina ieiunij in monachis laudanda, & alenda est.

Ratio tertia. Ieiunium creat animum vigilem, dum subtrahit longioris somni materiam. Omninò autem patet, vigiliam boni monachi

notam

notam esse, cum somnus ei breuior, quàm in seculo, & longius rerum monasticarum studium esse debeat. Quomodo ergo vigil, & perspicax erit, si corporis pondere ex ingesto cibo, deprimatur? Quantò fiet vigilantior, ad exiliendum è lecto agilior, & ad obeundos actus quotidianæ disciplinæ promptior, si diuturno ieiunio assuescat, nutrimentoq. necessario naturæ minimè negato, superfluum resecet?

Ratio quarta. Ex instituto nostro Dei præsentiam iugiter menti impressam gerere, & res diuinas meditari debemus: cui profectò mentis intentioni nihil opportunius excogitari posse videtur, quàm ieiunium, cuius obseruatio perennis quædam oneris detractio, & motuum rebellium animum à rerum cælestium studio diuertentium castigatio est. Quis ergò non videat, proberq. longi ieiunij nostri congruentiam, si meminit officij, quo, ad perennem mentis eleuationem astringimur?

Ratio quinta. Quanti sit ponderis ieiunij bonum, multis ex capitibus alijs posset euinci: cæterum monacho Christi imitatori sat est, nosse longum sui Redemptoris quadraginta dierum ieiunium, & totius frugalissimæ vitæ suæ decursus. Sat est, nosse tot monachorum, & anachoretarum millia ieiunio penè miraculoso astricta, quæ prudenti consilio, corporalis cibi subtractione spiritualem pastum multò pinguiorem, ac delectabiliorem obtinuere.

Hisce argumentis minimè ambigendum est, patres, quin vos flecti sinatis, & regulæ præscriptio-

ptionem, quam de ieiunij obseruatione accepistis, tenaciter custodire velitis. Quòd feliciùs ex voto succedet, si mores sanctorum, & multorum è nostris in hoc genere identidem recolatis. Qui strenuus miles cupit esse, bellicosos viros, quos fortitudine excelluisse fama est, crebrò memoria repetit, vt ijs velut stimulis ad fortiter dimicandum incitetur.

Non vobis Basilium aliquem, aut Bernardum commemoro, sed pugnatores nostros, quorum exempla recentiora sunt. Nobis profectò compertum est, plerosq. è nostris regulæ ieiunijs, quæ videbantur pauca, plura multò addidisse, ac pane dumtaxat, & aqua, satis frequenter victitasse, vt Prælatos oportuerit esse peruigiles, ne se illi inedia conficerent. Hoc certè nobis perspectum est, fortasse autem, & vobis: possemusq. multorum catalogum contexere, nominaq. proferre, si id aut prudentia, aut mos noster exigeret. Si ergò à Prælatis laboratum est, vt ieiunij amorem nimium, cultumq. reprimerent, qualis status Congregationis nostræ foret, si aduerso cursu conandum iam esset, vt præscripta ieiunia obseruarentur? Quàm funesta hæc sortis mutatio accideret! spero equidem vos ope diuina roborandos, vt pro viribus antiquam hanc, & meritis fœcundam consuetudinem sustinere, & ad posteros traducere integram possitis. Ne concidatis vnquàm, neque vincendi occasiones respuatis. Certum prorsus est, bonos monachos fame interdùm incredibili torqueri, vt vix, nisi de hora refectioni decreta cogitare valeant. Exploratum

est,

est, lautis seculi epulis, dæmonis arte per imagines viuas impressis ità excruciari, vt immensa excrescat appetentia. Cæterùm hæc sunt prælia iustorum, quibus fortiores euadunt, dum mori se malle, quàm ieiunium relaxare constituunt. Non in cassum quotidiano agone decertant: nam præter meritorum spirituales opes, solet Clementissimus Deus fatigatos mirificè reficere, lautioremq. mundi epulis cibum animæ palato ingerere, quo illi vegetiores fiunt, quàm si regum mortalium mensis nutrirentur. Hunc cibum appetite, qui semel sumptus cor erigit, & austerioris vitæ tenax efficit. Via, quam carpimus, ascensus quidam in patriam nostram est; ex Aegypto in terram promissionis iter inchoauimus. Quomodo autem onerati ascendemus? Desideria vestra columbæ gemitibus similia sint, columbæ inquam gementis, pennasq. quatientis, vt in receptaculum quieti destinatum quantocyus pertingat. Nunc in agone contenditis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate: verùm non semper in hac lucta cum tot hostibus congrediendum est. Succedet enim fami saturitas, nuditati vestimentum. Fortiter concertate, & ad candidissimam gloriæ vestem, & lautissimam, in Regno Cælorum, Christi mensam per arduam ieiunij viam ascendite.

Exhortatio de causa iusta ieiunium omittendi. Cap. XXVI.

Satis profectò cæcus foret, qui in ipsis austeritatis nostræ præscriptionibus prudentiam legisla-

legislatoris suauitatem admiscentis minimè dignosceret, quod vel ex textu hoc, quo ieiunium septem mensium præcipitur, planè conuincitur. Tria quippe capita subiunxit, infirmitatem, debilitatem, aliamq. iustam causam, quæ multiplex esse potest, vt ieiunij abstinentia relaxetur: qua certè temperie, quod asperum edixerat, leniuit, & suaui se Christi spiritu duci demonstrauit. Hic ergo spiritus legum nostrarum est, quod hoc loco præfari, & mihi sanè, & vobis expedire videtur. Mihi quidem, vt non ægris, aut imbecillibus tantùm, sed laborantibus, ex itinere fessis, & varijs functionibus, quas obeunt, fatigatis ex lege compatiar: Vobis autem, vt dum Prælatorum paternam erga vos curam contemplamini, iustam soluendi ieiunij causam non laxè interpretemini, quod quàm sit æquū, ex his rationibus conijcite.

Ratio prima. Facilitas in ieiunij abstinentia relaxanda, intemperantis animi argumentum est. Iuxta communem quippe philosophorum sententiam, qualis est cuiusq. affectus, tale fert de rebus iudicium: atque adeò qui facilè iudicat, hoc aut illo tempore, aut occasione abstinentiam legalem esse remittendam, proculdubio se ità affectum indicat, vt abstinentiam oderit, aut tepidè amet. Suspecta ergo est facilitas illa, ac per hoc ipsum, à bonis monachis debet coërceri.

Ratio secunda. Qui sibi in ea facilitate indulget, velut in lubrico loco pedes locat, vnde leui quoque impulsu præcipitetur. Sic enim vsu venit, vt qui ea fragilitate facilis relaxationis laborant,

borant, renitente etiam conſcientia, vbi fames vrget, ieiunij legem violent, quod experientia diuturna conſtitit. Si ergo facilitas illa lapſui, ſiue tranſgreſsioni viam aperit, cauendum profectò eſt, ne lex ieiunij ſoluatur niſi cauſa ad timorati animi ſenſum, iuſta ſuppetat.

Ratio tertia. Noſtræ ſalutis inimicus famem irritare nouit varijs artibus, quibus ad monachos impugnandos abutitur, & vt in proxima exhortatione obſeruauimus, incredibilem plerumq. excitat appetentiam. Iam ergo hoc monaſticæ diſciplinæ documentum antiqua ſanctorum obſeruatione deprehenſum habemus, ne languori cuilibet, aut apparenti neceſsitati, quæ dæmonis impoſtura ſæpè confingitur, fidem habeamus, ſed fortium Chriſti militum more pugnemus.

Ratio quarta. Nulla tam fraudulenta vulpes eſt, ac propria caro, quæ incautos monachos crebrò ſeducit. Nunc enim ſomni, nunc cibi neceſsitatem mirificè ſimulat. Cui certè doctrinæ fidem aſtruit experientia: Vt enim nonnulli in choro, vel oratorio graui ſomnolentia oppreſsi, & neceſsitatis prætextu ad cellam petita venia recedentes ſtatim euigilant, neque licet id cupiant, dormire valent; ità & alij fame quadam, quæ inexplebilis eis videbatur, exorta incitati, veniaq. impetrata veſcentes facilè animaduertunt, appetentiam illam modica cibi, potusq. quantitate ſedari. His ergo obſeruationibus fidus legum cuſtos vti debebit, ad iuſtam ſoluendi ieiunij cauſam non temerè credendam.

Ratio quinta. Spectata noſtrorum Prælato-

rum charitas in ope ferenda ijs, qui quauis de causa refectione indigent, debet proculdubiò fideliores ieiunij obseruatores efficere: quod in quauis alia necessitate pariter asserendum. Quòd si quis sibi quicquam deesse causetur, curæ potiùs sui nimiæ, quàm Prælatorum incuriæ id posset ascribere. Diuino quippe iudicio id fieri videtur, vt qui sui sollicitus est, à Deo, ac proinde à Prælato, qui eius nomine præsidet, obliuioni tradatur, tametsi curet reminisci. Sic nempe culpa illa plectenda est. Si ergo à Deo nutriri optatis, perspectæ charitati eorum, qui præsunt, vos ipsos credere, & quod ad proprium spectat iudicium, in causa soluendi ieiunij censenda, seueritatem potiùs, quam indulgentiam sectari debebitis.

Spero equidem, vos fidos legum fore custodes, & cum hoste domestico validè certaturos, vt Deo probati ample remuneremini. Nolumus vos arctare, aut quicquam adijcere ijs, quæ regula ipsa traduntur. Imo fert animus, lege vti, ad vos largè solandos, cùm lex ipsa eum nobis spiritum videatur imprimere, qui ad commiserationem pronus est. Et quidem vestem hanc, qua tegimur, exuere, & quemq. vestrum induere, exemplo Ionathæ in Dauid, ad eamq. proportionem cibum nobis subtrahere, vobisq. erogare, vellemus. Id ergo dumtaxat hortamur, quod vobis cordi est, vt bonum, quod possidetis, feliciùs cumuletur. Quod vt ex sententia cedat, dogma illud pestilens cauete, quo aliqui inter sanctos minimè sancti, velut laqueo, quem tetende-

rant,

rant,capti sunt;prætexentes ad ieiunij nostri obseruationem eneruandam, culpam solummodo venialem admitti ab ijs, qui ieiunium nostrum omittunt, culpam scilicet, quæ aqua lustrali possit elui,qualis est linguæ licentia,ad otiosa verba, vel officiosa mendacia: propterea q. transgressionem illam non ità exaggerari, aut horrori esse debere. Pestilens est dogma hoc: quod si ad alia etiam disciplinæ nostræ capita deriuetur; de Carmeli flore, qui summo labore renatus cælesti munere alitur, actum est. Væ desertoribus instituti, qui culpas leues, vt mortem ipsam non perhorrescunt. Etenim, vt in hac ipsa ieiunij causa exemplum aliquod tremendum proferamus, nobis constat, aliquos venialibus in hoc genere culpis assuetos à Deo sensim fuisse derelictos, donec à statu monastico expulsi sunt, vel in laxiorem ordinem infausta commutatione transiere.

Quorsum autem illos ijs culpis leuibus assuetos appellemus cùm eas raro commisisse prudens coniectura sit? Verùm in loco tam exactæ iustitiæ laude conspicuo, ijs culpis vel rarò fœdari res fuit adeò deformis,sanctorum consortio adeò indigna, Deoq. tam exosa, vt tepidos illos quadam iustæ indignationis, velut nausea, diuina maiestas euomuerit, vt non ab re eis aptetur celebratum illud:

Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Ps.77.

Ascendit videlicet vt pessundaret, ac proculcaret ingratos, qui à leuibus exordium ducentes ad culparum mensuram paulatim derelicti, in

grauiores demum prolapsi, ac explosi sunt. Has tragœdias certis euentibus notas referre placuit, vt ex aliorum damno cautiores fieri, & salutem ex inimicis nostris similium transgressionum fuga parare possitis. Estote fideles legum obseruatores, creditamq. Deo vestri curam ne intemperanter resumite. Ieiunia vestra benè repensabit Christus, ad cuius mensam victa iam morte considebitis. Extendet famelicus monachus manum in arborem vitæ, & fructum dulcissimum carpet, dicetq. lætus: Fructus hic ieiunio emptus est, pro quo esuriem tuli, maluiq. fame torqueri, quàm ieiunij legem vllo prætextu violare. Ieiunia transiere, vitalis fructus æternus mihi pastus, & tædij expers saturitas erit. Hæc cogitate, & iter cœptum animosè conficite.

TEXTVS DVODECIMVS.
De Abstinentia Carnium.

AB esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur, & quia vos oportet frequentiùs mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed & carnibus supra mare vesci licebit.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu peti possunt ad exhortationes solitas.

DIci posset de vitanda facilitate esus carnium; verùm quia hæc facilitas per rationes,

nes, quas in proxima exhortatione produximus, dissuaderi potest, vtilius videtur de mendicandi exercitio disserere. Poterit etiam de bono extra domos nostras exemplo dici.

Exhortatio de exercitio mendicandi.
Cap. XXVII.

APostolicæ paupertatis exercitium summis votis expetendum est, vt bona plurima, quæ parit, animam verè diuitem efficiant. Cæterùm dolendum est, quàm pauci ex ijs etiam, qui eam profitentur, paupertatis exercendæ occasiones amplectantur. Mirũq. profectò est, quo pacto cũ emisso illius voto, perennis, & accurata eiusdem fuga consistat. Constat certè plurimos qui sibi satis iusti videntur, prætexere, nolle se rebus superuacaneis vti, sed id dumtaxat velle, vt necessaria minimè desint. Verùm si res necessariæ semper suppetant, qualis paupertatis cultus est? Si autem ita suppetant, vt sine vllo labore parentur, cur non potiùs prouidentia commoda, quàm paupertatis exercitium appelletur? Profectò si monachus instituti sui memor, & æquus æstimator esset, non eam commoditatem, sed mendicitatem, in qua voti exercitium, & multiplex pietatis cultus elucescit, optaret, quod his rationibus asseritur.

Ratio prima. Regula nostra, qua Dei voluntas exprimitur, tanquàm certum statuit, monachos iter facientes mendicaturos, quod ex emisso paupertatis voto palam deduci videtur. Nisi enim

excipiatur necessitas, quæ ex morbo, vel alia idonea causa enascitur, mendicandi actus statui nostro natiuus est. Quid ergò censendum de monacho illo, qui eiusmodi actû exercere detrectat, vbi nullam coram diuina maiestate, & viris monasticæ disciplinæ consultis, iustam exceptionem afferre valet? Profectò emissi voti degener obseruator est.

Ratio secunda. Vbi monachus prospere valet, neque à Prælatis iusta aliqua de causa, commodior aliqua itineris faciendi ratio præscribitur, pedes viam carpere debet. Cur enim si robustus sit, neque via difficilis obstet, aut per obedientiam aliud decernatur, id non obseruet? Si autem id exequi omninò debet, quid congruentius, quàm vt eleemosynam postulet, conscientiamq. propriam fideli voti custodia exhilaret?

Ratio tertia. Certa quidem experientia probatum est, Deum Clementissimum mira prouidentia mendicantibus adesse, eosq. è perspecta in hospitio, & victu Dei ipsius ope voluptatem haud modicam capere. Cùm enim Apostolicis vestigijs insistant, nunquam ita destituuntur, vt rebus necessarijs careant, imò eas lætiùs, quàm domi recipiunt. Si ergo mendicandi actus è præsenti Dei auxilio lætitiam elicit, cur ita à plerisque refugitur?

Ratio quarta. Non fert animus asserere, actum illum inexpertis non esse difficilem. Sit planè difficilis. Verùm si in arduitate illa superanda Christi humilitas, & mansuetudo succrescunt, cur actus tot, tantorumq. bonorum ferax non expetatur?

tatur? Sanè nonnullis ratio hæc adeò probatur, vt videatur eis immensi cuiusdam boni prouentus deesse, si mendicandi desit occasio.

Ratio quinta. Mos verorum monachorum est, non mendicare modo, vbi id monet occasio, verùm Deo gratias agere, vbi grauiter repelluntur. Bonum quippè illud repulsæ ob Christi amorem acceptæ, pretiosum sanè, ac proinde auidè arripiendum eis videtur. Et quidem, quo repulsa est acrior, eo lætantur magis, impenseq. cupiunt, frequenter reijci, vel ob meritum auctius, vel ob cælitus delapsam voluptatem. Quid autem cum his, qui bono conscientiæ testimonio gaudent, commune sit illis, qui diuitum secularium more, iter faciunt, & Christi paupertatem præseferre erubescunt?

Ratio sexta. Quòd ad Dei iudicium attinet, minimè dubium est, quin mendicandi actus monacho inopi sit laude dignus. Quòd verò ad homines spectat, exploratum est, eos vno, vel altero excepto ad commiserationem flecti, & de monacho eleemosynam modestè postulante bene opinari. Cur ergo id non ametur, quod Deo, hominibusq. probatur?

Omninò credendum est, patres, vos non ita esse proteruos, vt Apostolicam doctrinam improbare, aut extenuare velitis. Non hic de ijs disserimus, quos à communi sententia morbus, aut ratio aliqua à Prælatis expensa eximit. His potiùs miseremur, libenterq. nos mendicandi susciperemus laborem, qui eis in refrigerium verteretur. De ijs ergo dumtaxat agimus, qui pro-

culdubio mendicare, Deo, Angelis, & hominibus iucundum spectaculum exhibere, conscientiamq. propriam exhilarare possent. Hos monemus, rogamusque, cur mendicitatem formident? An dedecori eis sit? Porrò honorificentior, quàm equitatio, & larga in hospitijs expensa est: hæc enim emissi voti violati, aut ægre seruati suspicionem, illa expleti voti opinionem ingenerat. Quid ergo timent? An necessarii victus defectum timent? Verum quomodo is deesse queat? Audite Christum Apostolos rogantem in hæc verba:
Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis: nunquid aliquid defuit vobis?*

Sic Christus interrogat, Apostoliq. respondent: Nihil: Sponsor Christus est, ad cuius fidelitatem necessarii victus, & lecti prouidentia pertinet. Etenim quicquid aliàs ad rem hanc è variis capitibus congeri potest, æquare nequit efficacissimum Christi aliquando mendicantis exemplum. Quid obsecro diceretis, si concessum vobis fuisset, Christi manum extensam ad oblatam, vel petitam eleemosynam capiendam, intueri? Ergo ne Vnigenitus Dei Filius creaturæ suæ mendicus euasit? Quomodo erectæ ceruices exemplo tanto non flectuntur, & non monachus modo, sed Christianus quisque mendicandi occasiones non sedulo captat? Longè alia est via cælestem patriam petentium, ab ea, quæ ducit ad interitum. Illa, arcta cum sit, non capit nisi homines sese arctantes: hæc lata est, & laxe viuentes admittit. Cæterùm illa in latissimam Ciuitatis Dei plateam, camposq. æterno virore lætos desinit: hæc

tar-

tartari demum anguſtijs aſtringitur. Quid cogitatis? Quid ambigitis? Benè profectò eſt tranſire per ignem, & aquam eos, qui educendi ſunt in refrigerium.

Exhortatio de bono exemplo extra domos noſtras præbendo. Cap. XXVIII.

OBlata virtutem colendi occaſio monachum Dei zelo flagrantem à tepido diſcernit. Deus animorum cognitor eſt, nouitq. qua quiſque virtute præditus ſit: ac homines, qui interna cognoſcere nequeunt, facilè ſeducuntur, dum externa tantum obſeruant. Euenire quippe ſolet, vt eoſdem actus virtutum generoſus, & degener obire proponant, vt nullum eminens in alterutro diſcrimen appareat: cæterùm præſens occaſio, quid quiſque ſit, & valeat, luculentè demonſtrat. Generoſus enim virtutis exercendæ occaſionem nactus in propoſito conſtanter perſiſtit, degener deficit, & difficultati ſuccumbit: quod & alijs certè multis, & familiaribus quoque diſciplinæ noſtræ patet exemplis, qualia præſentis regulæ textus occaſione cernuntur. Cùm enim venia detur, vt pulmenta cocta cum carnibus noſtri edere queant, ne ſint hoſpitibus oneroſi, & ſupra mare carnibus etiam veſcantur, plerumque contingit, vt monacho anceps cogitatio ſubeat, an hoſpitibus moleſtiam afferat, & an in breui aliqua nauigatione, vbi alia eſculenta ſuppetunt, carne veſci expediat. His ergo in euentibus qua virtute quiſque præſtet non obſcurè indicat. Nos

verò

verò licet, quod lege permissum est, improbare nolimus, hortamur tamen ad meliora sectanda, & seculares tam in his, quàm in alijs occasionibus exemplo bono instruendos, quod ratione multiplici asseritur.

Ratio prima. Sanctitatis persuasio, quæ secularium animis de nostris monachis impressa est, eò processit, vt bonis operibus quantumuis egregijs vix æquari possit. Si ergo in itineribus, & nauigationibus sanos, & robustos, sine vllo valetudinis detrimento solitam disciplinæ nostræ abstinentiam retinere valentes, videant laxiora sequi, dicendum videtur, eos non instrui exemplo illo bono, quod priùs conceperant. Meliora quppe sibi persuaserant.

Ratio secunda. Monachus, qui accumbens mensæ, vbi oua, & lactei cibi facilè apponuntur, vel apponi possunt, & rogatus pulmenta incocta carnibus edit, persuadet, vt plurimum, id sibi licere. At si melioris doctrinæ tenax, comiter respondeat, sibi cibos alios, qui suppetunt, satis lautum esse conuiuium, se non licita modo, sed honesta, & meliora sectari conuincit. Cùm ergo satis bene pastus exemplo bono possit seculares ad pietatem vrgere, cur id non efficiat?

Ratio tertia. Compertum est, ex facilitate hospitibus conniuendi, bonum Congregationis nomen alicubi diminutum, cum eo, quod vnus è nostris agere conspicitur, de reliquorum virtute iudicium feratur. Cùm ergo monachus bene valet, & opinionem de nostris conceptam sine vllo damno alere potest, quomodo lentescit, & in

& in mitiora propendet?

Ratio quarta. Consuetudo nostrorum est, austeram retinere disciplinam, apud eos quoque seculares, à quibus molestius incitantur, siue ob consanguinitatem, siue ob causas alias minimè indecoras. Constatq. eos ipsos, qui abstinentiam ægre ferre videbantur, postea eam commendasse, eaq. de causa piam animi commotionem ostendisse. Quid ergo prodest facilis assensus rogantibus præstitus, qui animos non ità piè afficit?

Ratio quinta. Non sunt adeò cæci, aut obdurati monachi nostri, vt occasione virtutis colendæ lapsa, non sentiant aliquos ictus conscientiæ suggerentis, quantò fuisset Deo acceptius, & secularibus vtilius, austeræ disciplinæ tenacitatem, quàm laxitatē amplecti. Sit quisq; sui ipsius testis, ac iudex. Si ergò varia occurrit proficiendi occasio, & proximi indè ad pietatem inflammantur; profectò parùm solicitus opum cęlestium mercator est, qui bonum exemplum præbere non certat.

Audistis, quibus rationibus exempli boni æstimatio asseritur, & quàm referat, meliora in hoc genere exquirere. Multa sanè licent, quæ minimè expediunt. Licet quidem ijs, quæ à regula conceduntur, vti, verùm an id expediat, ex circumstantijs censendum est. Sat est, aiunt nonnulli legi non aduersari; verùm nos meliora monemus, bonosq. monachos nouimus, non id spectare dumtaxat, quod bonum, sed quod perfectius est. Quemadmodum enim in generis humani redemptione non id tantummodo præstitit

Chri-

Christus, quod sat fuisset, sed largiora refudit; ita pij, generosiq. animi, non quæ sufficiunt tantùm, sed quæ meliora, Deoq. gratiora videntur, explere nituntur. Mundus festinat occidere, desertorumq.monachorum scandalis validè concutitur. Hic in apostasiam, ille in hæresim tremendo iudicio prolabitur, alius sordidam ducit vitam, & publicus solemnium votorum violator est. Si ergo multa monachorum infidelium colluuies Ecclesiam Christi sponsam dehonestat, apertisq. perturbat scandalis; à quibus rogo monachis, nisi à nostris exigendum est, vt perfecto virtutum exemplo Ecclesiam condecorent? Recolite illum B. Teresiæ fundatricis nostræ zelum, & tenerrimum iam morientis sensum, quo se Ecclesiæ filiam esse, dicebat. Recolite, & sensum illum concipite, vestemq. deauratam reginæ à dextris Christi sponsi assistentis, quam alij dilacerant, vel inficiunt, vos, quoad per vires licet integram, mundamq. seruate. Non ergo in ijs solùm euentibus,quos textus è regula lecti occasione tetigimus, sed in alijs quibusvis eo affectu,
Tit.2. quo Apostolus Titum, hortamur, vt præbeatis vos ipsos exemplum bonorum operum,in doctrina, in integritate, in grauitate verbum sanum irreprehensibile: vt is,qui exaduerso est,vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Expendite,quàm accuratè homines, qui prælationes, aut magistratus ambiunt, indecoros actus ea præfectura, quam expetunt,indignos vitare studeant, cùm sciant, se à multis attentè spectari, quibus placere opus sit. Diuinam vos maiestatem spe-

ctatri-

ctatricem habetis in statu hoc, in quem cœlesti consilio cooptati estis, vt regnum æternum parare niteremini. Quid ergo desideratur, nisi vt Deo perplacere conemini, nihilq. deforme committatis, quod improbet ille, qui vos felicissimi regni sui consortes efficiet, si legitimè certasse comperiat. Hæc mente pertractate, & altè impressa retinete.

TEXTVS DECIMVSTERTIVS.
Exhortationes.

QVia verò tentatio est vita hominis super terram, & qui piè volunt viuere in Christo, persequutionem patiuntur: aduersarius quoque vester diabolus tanquàm leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret; omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici.

Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis, muniendum est pectus cogitationibus sanctis. Scriptum est enim. Cogitatio sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum, ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquàm vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est, placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Saluatore speretis salutem, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei,

Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris, & quaecunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper Diabolus inueniat vos occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc beati Pauli Apostoli magisterium pariter, & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur, qui positus est à Deo Prædicator, & Doctor gentium, in fide, & veritate, quem si secuti fueritis non poteritis oberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus: non quasi nos non haberemus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim, inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes. His autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, panem suum manducent. Hæc via sancta, & bona: ambulate in ea.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu duci possunt ad exhortationes solitas.

POtest differi primùm de tentationibus, deinde de studio virtutum, quæ spiritualis armatura est, mox de familiari vsu verbi Dei, denique de otio vitando.

Ex-

Exhortatio de bono, quod in tentationibus paratur. Cap. XXIX.

PRæſens regulæ textus, grauis quædam, & ſalubris eruditio eſt, qua in memoriam reuocatur mortalis vitæ conditio, & perennis militia, ſeu tentatio, qua infeſtamur. Non diſceptat, ſed ſupponit hominis vitam tentationibus obnoxiam eſſe. Quapropter monachus quiſque ſecum ſtatuere debet, ſe omninò tentandum, vt non turpem fugam, ſed claram victoriam meditetur. At hoc neutiquam præſtabit, ſi bonum, quod in tentatione prouenit, non curet habere perſpectum. Has ergo rationes percipiat.

Ratio prima. Suſpecta eſt virtus, quæ aliquo experimento probata non fuit: quis enim credat ei, qui grandia pollicetur, ſi opera promiſſis fidem non aſtruant? Cùm ergo tentatio, quædam virtutis experientia ſit, qui ſibi cupit non eſſe ſuſpectus, tentationis experimentum refugere, aut ægre ferre non debet. Aurum certè igne examinatur, & ſuſpicionem omnem excludit. Vt ergo qui rudem auri maſſam non excoxit, ſibi minimè ſatisfacit, meritoq. ambigit, an aurum ſyncerum ſit; ita qui virtuti parandæ ſtudet, neque tentationis experientia, quid valeat, deprehendit, non poteſt propriam virtutem, non habere ſuſpectam, intereſtq. multum, vt tentari non renuat.

Ratio ſecunda. Victoria vniuersè placet: quis enim victor eſſe nolit? At victoria ſine bello nequit

quit acquiri, paratur autem edomitis hostibus. Cùm ergo certum sit, vobis placere victoriam, æquum profectò est, vt tentationis prælium minimè formidetis. Victoriæ decus, & prædam meditamini, & vim rationis expendite.

Ratio tertia. Lætitia, quæ ex parta tentationis victoria succedit, ea est, quæ bonos certatores ad certamen perurgere valeat: quod varia similitudine explicari posset, qualis hęc: Qui requiem post acres neruorum dolores nactus est, ingens quoddam bonum sibi parasse videtur, ex cuius amplexu, vel possessu magna vis lætitiæ subit. In hunc modum tentatione victa succedit pax lætitiæ ferax, qua totus homo mirificè peruaditur, & exhilaratur.

Ratio quarta. Quicquid de lætitiæ successu afferatur, negari nequit, meritum tentationibus magnoperè augeri. Illa enim spectata fides, patientia, constantia, qua ictus validi excipiuntur, animo interim non concidente, sed generosè reluctante, horreum quoddam selecto tritiço plenum est, quo monachus ditescit. Cur ergo tentari nolit? Cur conflaccescat?

Ratio quinta. Etsi nullum proueniret lucrum, maximi fieri deberet, diuinæ maiestati iucundum spectaculum inuicta fortitudine exhibere. Quibus enim oculis, putatis, strenuum militem grauiter impugnatum, & nunquam cedentem, vel de integritate, & constantia quicquam remittentem Deus intuetur? Profectò gratissimum spectaculũ, & amplæ remunerationis spe benè fultũ est.

Ratio sexta. Recolite amicorum Dei præcla-

rissima exempla,& proculdubio animaduertetis, decuisse, vt quò Deo acceptiores fuere, eò grauiùs tentarentur. Quid durius imperari potuit Abrahæ, quàm vt filium immolaret? Quàm acris hæc tentatio fuit? Quid de Iob subtexam, quem Deus dirissimis inimici telis exposuit? Quid de Tobia, cui lumen oculorum ademit? Hi sanè Deo charissimi fuere, & tamen interfuit plurimùm, vt acerrimè tentarentur. Si ergo inter Dei amicos vos recenseri posse,confiditis,ne terga vertatis, sed armis à regula præscriptis, cum hoste sæuissimo dimicare, honorificum ducite.

Appendite nunc rationum pondera, & iudicate,quàm errent grauiter, qui in statu nostro, se mæstitia concidere patiuntur, quòd tentationibus vexentur. Diuino munere in statum monasticum asciti sunt, vbi est multiplex armatura, qua obsepti victorias illustres de mundo, tartaroq; referre valent: & bellum degeneri corde detrectant. Quænam imbecillitas est hæc? statim, ac armati sunt, deberent ipsi congressum optare, memores Christi, quem Spiritus impulit in desertum,vt tentaretur. Non est planè Christi militia dignus, qui spiritualia prælia reformidat. Expendite verba sacra regulæ nostræ textui inserta: *Qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur*. Quam persecutionem? An omnes pij a tyrannis ob Catholicæ fidei defensionem trucidantur? An omnes martyrio coronati intereunt? Non est hic sensus ad regulæ mentem necessarius. Sat est, vt dæmonis, mundi, propiarumq; passionum infestatio non

desit. Hæc est monachorum persequutio, qua excruciantur, cui si validè obsistant, catalogo illustrium certatorum ascribi possunt. Hæc est militia, hæc est tentatio, hæc est persecutio, qua vos exercendi estis, si bona immensa parare velitis. Huc conferunt arma spiritualia fidei, spei, charitatis, patientiæ humilitatis, quibus consertis velut loricati ad certamen procedunt monachi a tartaro formidati.

Quid cogitatis? Memoria repetite Apostolos, qui spiritus primitias acceperunt, & eos quasi homines neci destinatos, instrúctis tartari, mundique agminibus, & vniuersali quadam coniuratione tentatos aspicite. Lustrate etiam omnia Ecclesiæ castra, & Dei electos, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, internis prælijs, morbis, doloribus, fame, siti, inopia alijsq; sexcentis malis obsessos intuemini. Si ergo tantorum virorum consortium placet, adeste animis, & virili fortitudine dimicate.

Ne probetis consilia eorum, qui vnius mensis, vel anni impugnationem se ferre non valere, prætexunt. Illorum potiùs sententiam probate, qui per decennium, & vltra, vno, aut multis tentationum generibus concussi, in Christi amore, & promissa ei fide persistunt. Siue caro rebellet, siue passiones sæuiant, siue dæmon exstimulet, siue homines obtrectent, siue iniuriæ irrogentur, siue interna ariditas vexet, ne stationem vestram deserite. Respicite Christum Pontificem nostrum tentatum per omnia, pro similitudine absq; peccato, & exemplari nostro aptè congruite. Bellum

deniq;

deniq; transit, pax succedit æuo sempiterno permansura. Præclare cum Dauid actum fuit, vt cum Philistæo congrederetur, quandoquidem illo cæso, caput gestans occisi, honorificentissimè ab Israel exceptus est. Pugnate, & vos, & prælij finem contemplamini. Assistite Christo tentato, vt amplissimi promissi vos participes efficiat. Promissum audite.

Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, vos autem estis, qui permansistis mecum, in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super trho nos iudicantes duodecim tribus Israel. Luc. 22.

Ecce quàm optandus accubitus, ad Vnigeniti Filij Dei mensam, ecce, quàm sublimis sessio in thronis à Deo paratis. Hæc est merces, quæ rependitur monachis, qui cum Christo tentari pertulerunt. Huc ergo incumbite, & armatura Dei muniti certate.

Exhortatio de studio virtutum.
Cap. XXX.

Altè imprimenda sunt illa regulæ verba: *Omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici.* Hæc præfatur, & mox attexit catalogum armorum, quæ sunt christianæ virtutes, quibus monachum, ad varios insultus oportet præmuniri. Contextum obseruate, & animaduertite, quàm sit ex legislatoris mente studium virtutum, cui

accurata debetur attentio. Neq; id solummodo obseruate, sed vlteriùs procurrite, & prodigiosam monasticorum ordinum calamitatem, quæ ex virtutum neglectu successit, contemplamini, vt similem cladem præcauere aliorum damno discatis. Quod vt efficaciter præstetis, has rationes perpendite.

Ratio prima. Virtus per se spectata, bonum honestum, & amore dignum est, cùm hominis naturæ congruat, eamq; perficiat. Est ergo naturali propensioni consentaneum, vt homo studio virtutum se ipsum dedat. Si autem id omni consonat homini, quanto est æquius, vt monachus virtutibus veris excellat?

Ratio secunda. Christiana virtus est quoddam bonum non honestum modo, verùm & diuinum, quod homines mundo altiores efficit. Cùm ergo monachus statum mundo excelsiorem elegerit, quid superest, nisi vt Christianas virtutes, quæ animum sublimen creant, curet exquirere?

Ratio tertia. Vires animi peccato originali, & alijs inde ortis malis attritæ sunt, & plurima, grauiaq; imminent bella, quibus vt homo fortiter occurrat, virtutibus Christianis, quæ sunt animi robur, proculdubiò eget. Quomodo ergò monachus tot, tantisq; malis non succumbet, nisi se armatura virtutum vndiq; sepserit?

Ratio quarta. Monachus rerum cælestium debet esse consultus, & in summum bonum cor intentum gerere: quod vt efficiat, syncera fide, firma spe, ardenti charitate, inuicta patientia, alijsq; virtutibus omnino indiget; nam difficul-

tas è multis orta capitibus, nisi huiusmodi armis minimè superatur. Quàm ergò cœcus erit monachus, qui virtutes has comparare non solicitè studuerit?

Ratio quinta. Monachi vita, iugis quædam ad Dei vnionem aspiratio est; quid enim aliud optandum superest, postquàm creata omnia, pia animi erectione pertransijt? Constitutum est autem, veras virtutes, nexus esse quosdam, quibus animus noster Deo, velut astringitur, quod diuinæ præsertim congruit charitati, quæ vinculum perfectionis est. Si ergo vobis vnio diuina videtur expetenda, opus est, vt medijs virtutibus, Deo hærere conemini.

Quæ prompsimus, vt credi debet, pios animos possent excitare. Cæterùm hoc mirum videtur, quòd cùm virtutum studium tam pium, honestum, & monachi proprium sit, tam sint pauci, qui veras virtutes colant. Labuntur tempora prolixa, & post monasticæ disciplinæ decennium, non maior patientia, humilitas, mansuetudo, obedientia deprehenditur, quàm sub ipsum primi ingressus initium. Quin etiam, quod mirabilius est, multò minor præfertur virtus, siue humilitatis, siue obedientiæ, siue mansuetudinis occasio se se offerat: vixq; rebus theologicè perpensis, concludi potest, vllum esse progressum, cùm rationes validæ suppetant ad regressum persuadendum. Hæc sanè obseruatio bonos censores torquet, timentq; vehementer, ne via, quæ multis recta videtur, eos ad interitum ducat. Et quidem causa hæc, de qua dicimus, non adeò ab-

strusa est, vt vos omnino lateat. Estote vosipsi Iudices, ac mihi roganti satisfacite. Rogo: Monachus ante decennium a prælato monitus statim acquiescebat, silebat reprehensus, imposita onera mitis subibat: Nunc Prælato reluctatur, excusationes prætexit, onera palàm detrectat, & hoc in morem induxit, ita vt nisi imperata eius ingenio fortuito placeant, vix quicquam, sine auersi saltem animi indicijs, exequatur. Rogo inquam, an iste lapsu decennij progressus, an regressus fuerit? Dicite quid de homine isto censendum sit. Profectò, aut omnis theologica doctrina de medio tollenda est, aut sentiendum, monachum istum retrocessisse. Quomodo enim tam licenter ex more ageret, si veras virtutes comparasset? Si autem verarum virtutum expers est, quomodo progredi potuit? Ne vobis ipsis blandiamini, patres: ne fragilibus leuium rationum fundamentis innitamini. Apprehendite disciplinam tutam, solidam, sanctorum exemplis confirmatam, ne quando irascatur Dominus doctrinis peregrinis irritatus, & pereatis de via iusta, per quam incedere cœpistis. Nullus sanè negociorum gestor, lucri, aut honoris cupidus opinionibus minus tutis innititur: per tutiora, & opportuniora, lucrum, honoremuè perquirit. Actus virtutum, quæ sunt itinera æternitatis frequentate: dum instat difficilis obedientiæ, humilitatis, patientiæ, arduitas, occasionem cupidè arripite, & pro tuenda virtutum honestate, quicquid in hac mortali vita speciosum, & expetendum videtur, excelsè contemnite: atq;

ad

ad hunc modum ad supernæ vocationis palmam celerrimè currite.

Exhortatio de familiari vsu verbi Dei.
Cap. XXXI.

REgula certè nostra, velut turris Dauid est, è qua pendet omnis armatura fortium. Et quidem inter arma plurima, meritò recenseтur Dei verbum intus impressum,& externè frequentatum, vt patet è textu illo: *Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris.* Ex hoc profectò textu liquet, legislatoris mentem fuisse, vt de Deo,ac diuinis rebus monachi nostri crebrò verba facerent: quæ quidem res, cùm momenti maximi sit, omisso interim verbi diuini in corde latentis tractatu, rationibus multis asserenda est.

Ratio prima. Potior instituti nostri pars est, rerum diuinarum contemplatio, quod vobis satis compertum statuo. Si ergo status, & officij proportio, vti decet, obseruanda est, quibus de rebus, nisi de cœlestibus nostri loquantur? Pictor,Scalptor,Iuriscõsultus,Medicus, & alij professores, de instituto quisq; suo passim verba faciunt, officio penè coacti. Cur ergo monachus, qui diuinorum contemplationem profitetur,non de diuinis agat? Non ne perspicua rei proportio diuinum sermonem à nobis exigit, & contrariæ consuetudinis deformitatem ostentat?

Ratio secunda. Manifestum est,familiari verbi Dei vsu innumeras vitari culpas,quas lingua,

velut syluam senticosam effundit, otiosa nempe verba, officiosa, leuiauè mendacia, detractiones, contentiones, & id genus alia, quæ monachis loquacibus vsitata sunt, vt grauiora sileamus. Si ergo gladius spiritus, quod est verbum Dei, noxiam eam syluam præsecat; quid tam monacho proprium, quàm creber eius vsus diutissimè productus?

Ratio tertia. Dei verbum non est qualecumque lucrum; sed pretiosissimum, & vniuersis mundi thesauris longè præferendum. Parit enim pia desideria, cor emollit, mundi cõtemptum inducit, meritaq. proinde maxima cumulat; quod vos dum de diuinis rebus attentè confertis, arbitror obseruasse. Quin & seculares id in se ipsis deprehendere, compertum est, cum ex vno interdum pio colloquio, vehementer commoti de statu mutando cogitent, & erumpentes lachrymas reprimere nequeant. Si ergo Dei verbum meritis adeò fœcundum est: Si adeò est efficax ad obdurata pectora demulcenda; quid monachus excusat, ne id sæpissimè frequentet?

Ratio quarta. Vel ipsa, quæ ex vsu verbi Dei percipitur, suauitas, acer stimulus est, ad id in morem inducendum. Sentiunt planè suauitatem hanc pleriq; qui piorum colloquiorum sitim nunquàm satis explent, vellentq; noctes insomnes ducere, vt eo nectare recrearentur. Quocirca mirum est, monachos, vel eius voluptatis ignaros esse, vel conscios eam non perquirere.

Ratio quinta. Familiare est ijs, qui à patria longè peregrinantur, vbi conterraneum aliquem for-

fortè conspiciunt, auidè cum illo de patria, eiusque successibus colloqui. Cùm ergo nos simus exules, à patria nostra quàmdulcissima multùm dissiti; quid agimus, aut quomodò affecti sumus, si de Ierusalem cœlesti, immensisq; eius bonis non identidem disserimus?

Ambigi nequit, patres, quin statui nostro sermo diuinus congener sit; vixq; in vniuerso orbe Christiano, gens vlla reperitur, quam proprium institutum ad eum tam arctè, ac nos ipsos astringat. Ab ipsa quippe educatione, à quotidianis, aut frequentibus exhortationibus, à libris, quibus nouitij, professiq; passim vtuntur, à familiari vsu præsentiæ Dei, ab scopo contemplationis multa, & firmissima duci possunt argumenta ad illum efficaciter persuadendum. Quocirca mirum videtur, paucos demùm inueniri, qui de rebus diuinis, tam sæpè, ac expediret, loqui velint. Quid est hoc? Cur non omnes hanc cœlestem eloquentiam ediscimus, & non in concionibus tantùm, sed in familiari sermone Dei præcones disertissimi euadimus? An verum non est illud regis psaltis effatum.

Ignitum eloquium tuum vehementer. Psal. 118.

An non & illud.

Eloquia Domini, eloquia casta. Ps. 11.

An Dei sermo non est viuus, & efficax? Cur ergo non ei linguæ omnes assuescant? Animaduertite, quàm solicite patritiorum filij palatinum sermonem addiscant, vt principibus placeant. Nonne æquum foret, vt nos Ciuitatis Dei linguæ, siue sermonis periti essemus, & casta verba

con-

contexere pergeremus, vt diuinæ probaremur maiestati. Profectò turpiter errabimus, si sermone diuino neglecto, otiosa, seu uana uelimus efferre. Etenim hoc à nobis officium mundus expectat, & hæreditario iure censet explendum. Parens quippè, & fundatrix nostra Teresia hanc spiritualem patrimonij partem minimè despiciendam nòbis reliquit, quam dissipare nefas est. Cæterùm licet argumenta deessent alia, hoc vnũ omninò conuinceret; quòd si corda cœlo affixa sunt, uerba proculdubio cœlestia proferent, iuxta illud Euangelicum.

Luc.6. *Ex abundantia cordis os loquitur.*

Cùm ergo nos stricto uinculo innexi simus ad corda iugi Dei præsentia cœlis inferenda; aut de cœlesti patria loquendum, aut internum hominem officio deesse, fatendum est. Quid ergo eligitis? quid agere decernitis? Quid consilij capietis exules? Mementote ciuium Ierusalem in captiuitate Chaldaica lugentium, neque aliud, quam Sionem cogitare, aut loqui statuentium in hæc uerba.

Ps.136 *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.*

Proprijs linguis captiuus populus imprecabatur malum, si se in alia uerba, quam Sionis exererent. Et quidem satius foret, ut monachi lingua intus faucibus hæreret, quàm ut se otiosis, aut uanis uerbis pollueret, quod de Sacerdotibus præsertim asserendum est. Quomodo enim audent, linguam, qua consecrationis uerba paulò ante protulerunt, ad uana, uel otiosa laxare?

Ergo

Ergo ne lingua, quæ Dei instrumentum fuit, ad animas sanctificandas, & panem in Christi corpus conuertendum, à dæmone paulò post regenda, & fœdanda est? Hæc patres meditamini, ac horrescite: & è casto ac ignito Dei sermone meritum, & puram voluptatem elicite.

Exhortatio de otio vitando. Cap. XXXII.

NOn sunt oscitanter prætereunda verba illa regulæ, *Faciendum est vobis aliquid operis &c.* quæ legislator à dæmonis impugnatione, & Apostoli consuetudine confirmat. Nimirum opus fuit, vt otium lege damnaretur, cùm quoddam vitiorum seminarium sit. Sanè vt ager incultus spinas, & vrticas, sic otiosus monachus innumeros culparum aculeos profert, quibus & propriam, & aliorum conscientiam dilacerat. Ne ergo tantum ingruat malum, rationes hæ animo imprimendæ sunt.

Ratio prima. Homo ad laborem natus est, otiumq. communi omnium nationum conspiratione reprehēditur, vt ex varijs artibus ad otium vitandum ingeniosè inuentis perspici potest. Si ergo vbiq. vitio vertitur otium, necesse est, vt intra claustra quoque reprobetur, cùm infame gestet inscriptum, quod grauium malorum suspicionem ingenerat.

Ratio secunda. Otium efficit hominem inertem, cui accidit; quod ijs, qui diù in compedibus fuere, solet euenire, vt scilicet ægre incedant, vbi soluti sunt. Quo quidem ex malo efficitur, vt ad

virtutum actus difficulter procedat, & in dies ad opera homine digna fiat obtusior. Quis autem non iudicet, mala hæc in monacho, qui ad spiritualem palæstram accessit, turpiora, quàm in secularibus esse?

Ratio tertia. Otiosus monachus passiones proprias non modò non coercet, verùm conualescere sinit, quarum impetu peiora interdum admittit, quàm in seculo perpetrasset, quod tragœdijs multis compertum est. Corpus quippe nullo labore domitum, & disciplinæ monasticæ impatiens animam vacantem præcipitat, & quò status sanctior est, eò grauior succedit legum transgressio, & conscientiæ peruersitas. Quis ergo tremenda mala non formidet, otiumq. depellat?

Ratio quarta. Loca sacra pijs laboribus dicata otiosum monachum minimè sustinent: ex quo fit, vt ille neque cellæ angustijs, neque claustri septis, se contineat, & vel frequenter domo exire, vel si domi maneat, loca omnia pererrare non cesset. Hinc existit multiplex damnum, quo legum custodia languet, & varij introducuntur abusus. Quomodo ergo zelo Dei flagrare potest, qui otium non grauiter detestatur?

Ratio quinta. Monachus otiosus complices habere satagit. Cùm enim ipse nihil boni agat, alios à bonis operibus diuertit, vt cum eis verba faciat, & tempus vanè terat. Quis autem non animaduertat, in hunc modum catenam quandam multorum otio torpentium conseri, & silentium, recessum, Dei præsentiam, & pios affectus interire? Profectò otij malum

genus

genus quoddam morbi contagiosi latè serpentis est.

Ratio sexta. Animus otio resolutus vrbs quædam muris minimè septa est, quam nostræ salutis inimicus facilè capit, ac funditus euertit; quod multis prodigiosis casibus ostenditur. Cùm ergo monachus eo ipso, quòd otio langueat, se telis sæuissimi hostis exponat, peruiumq. sit capi, & ad interitum vsque sauciari; quid cogitat, si otium excutere non satagit?

Dicite nunc, patres, quid de otij deformitate censeatis. Dicite, quid vobis videatur de hoc regulæ monito, quo nos ab otio dehortatur. Opus sanè fuit, vt graue hoc malum procul arceretur à claustris, quorum cœtus, quædam spiritualium apum examina, solicita, ordinata, & operi perseueranter intenta esse debent. Expendite grauia illa Apostoli verba regulæ inserta: *Audiuimus inter vos, quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes panem suum manducent.* Hæc Apostolus, qui ægerrime ferebat genus quoddam hominum, quibus manus inertes, lingua semper exerta fuit, quos grauiter compescere oportuit. Quid autem sentiret Apostolus, si ætate hac, monasteria multa, in quibus olim legum custodia, & pia quædam monasticorum operum contentio viguit, aspiceret? Quem conciperet sensum, si otio torpentes, verbosos, nouitatum obseruatores, cellæ impatientes, extra, intraq. claustra vagantes monachos intueretur?

tur? Quid ille diceret, si vias nouæ Sionis lugentes, & à nemine tritas, chorum, inquam, oratorium, locaq. sacris actibus destinata, minimè frequentata cerneret? Contemplamini vos rerum statum, vbi otium inualuit,& dicite,quàm sit æquum, similem calamitatem præcauere,& pios instituti nostri labores, velut præseruatiuam medicinam æstimare. Consideret etiam quisque vestrum, quid Christo responsurus sit, si talentum in terra defodiat, neque fœnus aliquod reddat. Consideret filiorum huius seculi prudentiam, & incredibilem ad honores aucupandos, opesq. congerendas sedulitatem. Quem rogo laborem detrectant, quam commoditatem non respuunt, quas noctes non peruigilant, quæ itinera non conficiunt, vt quod animo conceperunt demum obtineant? Parentes filios instruunt, vt otium auersentur, seduloq. laborent, vt in senectute quiescant. Vos ergo,qui æternam requiem, quam Ecclesia è vita migrantibus precatur, meditamini,qui amplam mercedem in cœlo repositam vobis esse confiditis,cur otio velitis desidere? Breues dies hominis sunt, iustusq. è corporis custodijs liberatus dicitur impleſſe tempora multa. Qui enim spiritu Dei agitur, præsentem laborem futuramq.remunerationem mutuò confert,atque perpendit, præmijq. successuri spe erectus,ac roboratus, ne punctum quidem temporis, sine pio labore aliquo vellet elabi. Hæreant animo verba illa Christi:

Luc. 19 *Negotiamini dum venio.*

Hæreant altè, hæreant perseueranter: & tanquàm

quàm soliciti Regni Cœlorum mercatores, otio depulso, opera operibus adijcite, laboribus labores addite, & ad optatissimam requiem, quam expetitis, quantocyùs peruenire contendite.

TEXTVS DECIMVSQVARTVS.
De silentio.

COmmendat autem Apostolus silentium, cùm in eo praecipit operandum. Et quemadmodùm propheta testatur: Cultus iustitiae silentium est: & rursus, in silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideò statuimus, vt dicto completorio; silentium teneatis vsque ad primam dictam sequentis diei. Alio vero tempore, licet silentij non habeatur obseruantia tanta; diligentius tamen à multiloquio caueatur. Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet: In multiloquio peccatum non deerit. Et qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus dicit in Euangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frenos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus eius ad mortem, custodiens cum propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua, & silentium, in quo cultus iustitiae est, diligenter & cautè studeat obseruare.

Ob-

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu duci possunt ad exhortationes solitas.

POtest dici de silentio. Poterit etiam differi de linguæ lapsibus.

Exhortatio de obseruatione silentij. *Cap.* XXXIII.

MIrum profectò videtur, vt in regulæ nostræ textu adeò breui, de cultu silentij tam longè differatur. Breuitas ea est, qua maior vix esse potuit, & tamen vbi legislator ad silentij leges accessit, penè prolixus euasit. Qua quidem ex re illud confici videtur: vt silentij cultus momenti maximi in monastica disciplina sit, & è linguæ moderatione bonorum spiritualium seges multa proueniat: quod his rationibus suademus.

Ratio prima. Ipsum certè silentij nomen, quod non sine consilio in aliquot cœnobiorum locis grandi charactere solet inscribi, habet nescio quid veneratione dignum, & lectum dûtaxat, vel auditum, religiosum quendam sensum à mundi strepitu exemptum imprimere videtur. Quocirca vel ob eam religionem, quam nomen ingenerat, magni fieri debet.

Ratio secunda. Silentium adeò monachi proprium est, vt eius officium homini verboso repugnare videatur. Functiones quippe monasticæ, quæ animo in res diuinas intento exercentur, rectè obiri nequeunt, nisi lingua cohibita, & ad

& ad pauca verba, vbi oportet, exerta.

Ratio tertia. Perenne orationis, ac præsentiæ Dei studium, quod profitemur, cum verborum copia proculdubiò pugnat. Quomodò enim interna virium collectio, quam studium illud planè requirit, cum earundem virium dissipatione, quæ per verba fit, cohærere poterit? Verborum autem multitudine collectionem illam discuti, ac interire ita notum est, vt confirmatione vlla non indigeat.

Ratio quarta. Linguæ moderatio, quàmdifficillima est, vt disertè Iacobus Apostolus ostendit in hæc verba:

Linguam nullus hominum domare potest. Iac. 3.

Præmiserat feras à natura humana domitas, & subtexuit linguam indomitam. Cùm ergo domesticus linguæ inimicus tam sit proteruus, necesse quidem est, vt silentij studium, quo illi vires adimuntur, accuratissimum sit.

Ratio quinta, Silentij cultus ita hominem honestat, vt illum alias exigui meriti, mira quadam virtutis persuasione laudabilem efficiat. Res vera, & vulgata est. Constat quippe, hominem tacitum prudentiæ famam compendio quodam acquirere, & ab alijs, velut quandam sapientiæ arcam benè clausam existimari. Quo quidem ex capite id boni exoritur, vt quemadmodum thesauri thecam omnes aperiri cupiunt, vt auri repositi aspectu delectentur; ita hominis taciti labia diduci optent, vt verba expensa denique audiant. Hæc silentij æstimatio est. Si ergo ita se res habet, profectò monachus loquax

non disciplinæ tantùm monasticæ, sed propriæ etiam existimationi nocet.

Ratio sexta. Qui tacitus est, culpas vitat innumeras, & velut syluam quandam veprium ictu vno succidit. Manifestum est quippe linguæ licentiam sine multiplicibus erratis non posse permitti, quòd vos expertos fuisse statuo. Si ergo tot mala monachus taciturnus cauere potest; quo spiritu afflatur, si præstituta silentij claustra perrumpit?

Ratio septima. Christus Dei verbum, cui verba officere non poterant, cùm quicquid proferebat, diuino priùs consilio fuisset expensum, adeò silentij tenax fuit, vt triginta annis tacuerit, tribus verba fecerit, quod sancti dum considerant, obstupescunt. Cùm enim mundus doctrina eius saluberrima, diutissimeq. expectata indigeret, & vaticinia vbertim explenda speraret, quibus prædictũ fuerat, ipsum Dei Vnigenitum præceptoris munere functurum; mirũ sanè visum est, vt è breui triginta triũ annorum periodo, annos triginta silentio, tres prædicationi destinaret. Quis vnquam hoc excelsum, & abstrusum Dei consilium sibi persuasisset, nisi Deus ipse id ob diuinam auctoritatem suam, credendum, Euangelico textu expressum euulgasset? Aruerat mundus spirituali rore destitutus, & ad verborum Christi optatissimam pluuiam anhelabat: & tamen Dei Verbum decuplo plus silentio, quàm sermoni tribuit? Quid est hoc? An hoc fortuito successit? Nonne æternum senatusconsultum est? Quid ergo dicemus? Profectò dicendum videtur, Christum non minus silen-

silendo, quam loquendo in admiratione habendum: credendumq. omnino, illud vnigeniti Filij Dei silentium diuinæ sapientiæ fuisse congruentissimum, vt homines exemplo tanto erudirentur. Quid monachus aduersus exemplum hoc possit excipere? Quomodò non vniuersi monasticæ disciplinæ professores silentij amore capiuntur?

Non dubium, patres, quin ad Christi scholam cælesti munere vocati fueritis. Non dubium, quin silentij decorem ametis. Non enim obduruistis, vt tam salutaris doctrina cordi non hæreat. Cæterùm non sat est, silentium, vtcunque, obseruare. Altiùs ascendendum est: vt scilicet, vbi iusta loquendi ratio vrget, parcè, & modestè admodùm dicatis. Quod vt vobis persuaderi possit, non rationes, aut exempla multa congeremus. Insistite proposito Christi nostri præceptoris exemplo. Contemplamini illum ad Pilati tribunal multis teterrimis criminationibus accusatum, & videte, an multa verba faciat, longamq. orationem ad sui defensionem subtexat. Instant acerrimi calumniatores, & tacet: & vrget iudex, vt quicquam loquatur, & tacet, atque ita tacet, vt præses miretur vehementer. Quale silentium est hoc? An non de vita innocentis agebatur, poteratq. seipsum efficacissimis rationibus, & cælesti eloquentia sine vllo linguæ lapsu tueri, & obiecta omnia diluere? Cur ergo silet? An Verbo Dei verba desunt? Altum est secretum hoc, & volucres cæli latet. Nos ergo ne secretum rimemur, sed miremur silentium, tam ar-

etè seruatum, vbi loquendi causa perurgere, & penè cogere videbatur. Si ergo Dei Filius in eiusmodi occasione tacet, quid mirum, si monachum hortemur, vt parcè, ac modestè loquatur, vbi tandem loqui necesse est? Profectò Christi silentium disertissimos homines in claustra, vel deserta abditos, quodammodo fecit elingues. Et ne longinqua petamus, scitis, inter nostros seuerissimam viguisse silentij disciplinam, ita vt per nutus, ac schedulas plerunque negocia expediri consueuerint, vt ab vno, vel altero verbo, nocturni præsertim silentij tempore, abstinerent. Hæc aliaq. antiquorum patrum gestis similia, proposito Christi silentis exemplari mirificè consentiunt, & loquaces monachos Christo dissimiles, sine vllo linguæ vsu, tacita, & diuina quadam energia redarguunt. Quid ergo expectatis? An Christo in re tam decora, & status vestri propria congruere non vultis? Compescite linguam, & ori custodiam, ostiumq. circumstantiæ tandem apponite. Estote taciti rerum diuinarum contemplatores, diuinamq. eloquentiam, qua in Ciuitate Dei vsuri estis, addiscite.

Exhortatio de linguæ lapsibus.
Cap. XXXIV.

MAla, quæ ex linguæ lapsibus oriuntur, adeò à regula exaggerantur, vt quemlibet suæ salutis cupidum mouere debeant, ad aliquid peculiare ea de causa meditandum, quò se à lapsibus ope diuina seruet immunem. Quis enim ita

stupi-

stupidus sit, qui non subsistat, & sibi prospiciat, dum legit verba illa: *Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frenos rectos ori suo, ne forte labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus eius ad mortem?* Profectò si linguæ lapsus ad mortem vsque animum sauciant, accuratissimè cauendi sunt, quod his rationibus monetur.

Ratio prima. Statuamus monachum aliquem loquacem esse, idque vitium respuere nolle. Rogamus nunc, quid de hoc homine verboso sperandum sit? Certum est quippe, eo ipso, quòd linguam soluat, præfixam virtuti metam transgressurum. Si etenim, qui taciti esse student, in re nulla frequentiùs, quàm in sermone se errare fatentur; quid de homine loquaci censebimus, qui immoderata verborum conglobatione lætatur? Profectò absque numero labetur.

Ratio secunda. Quotidiana liquet experientia, eos, qui Dei timorem non prorsus abiecerunt, stimulos conscientiæ pati ex verbis, vel otiosis duntaxat, vel damnosis; aut enim tempus se vanè consumpsisse, aut alicui loquendo nocuisse, cum ad se redeunt, deprehendunt. Hoc experiuntur timorati: quid ergo si Dei timor absit? Porrò, & culpa, & stimulus culpæ mala sunt, quæ præcaueri debent.

Ratio tertia. Satis frequens malum est detractio, quæ inter crebros lapsus verbosi monachi recensetur, & quasi lepra quædam linguæ non coërcitæ est. Eoq. solet excrescere, vt vix loquax monachus linguam exerat, nisi ad alios carpen-

dos, vel mordendos. Quàm ergo salutare consilium foret, pietatis fręno, ab huiusmodi lapsibus linguam præseruare?

Ratio quarta. Nihil familiarius verboso monacho, quàm altercatio in cœtu patrum, vbi parcè, & modestè loquendum esset. Quale autem malum sit altercatio, ex bono pacis, quod aufert, censeri potest. Pax bonum qnoddam diuinum est, quod in claustris, quandam cælestis patriæ imaginem refert: atque adeò altercatio pessimum pestis genus est, quod pia linguæ moderatione vitare, plurimùm interest.

Ratio quinta. Satis crebrò loquaces monachi in vanæ ostentationis culpam prolabuntur, dum laudes proprias amplificant, quod ab humilitatis studio longè abest. Huic autem malo præsentaneum remedium parcitas sermonis expensi est, cum Dei timore connexa: quod memoriæ imprimi debet ab ijs, qui de spiritus cultura non segniter agunt.

Ratio sexta. Christianorum concionatorum cura verbis impensa, argumentum efficax struit ad lapsus familiaris sermonis præcauendos. Illi enim accuratè sententias, & verba præmeditantur, studioq. præuio demum enunciant; & tamen multi ab auditoribus lapsus deprehendũtur, quos ipsi minimè dignoscunt. Quos ergo lapsus non incurret, qui absque consilio vllo linguæ indulget, & nunquam dicendi finem facere vellet?

Ratio septima. Grauiores lapsus mendacij, periurij, calumniæ, & aliorum peccatorum, quæ lingua perpetrantur, licet à loquacibus mona-

chis,

chis, se nihil graue committere velle prætexentibus, non formidentur; procliue tamen est, vt postquàm loquendo incaluere, in illa se quoque præcipitent, casusq. subsequatur ille, quem regula insanabilem appellat, non sanè quòd sanari nequeat, sed quòd de resipiscentia monachi loquacitati assueti, & in errata grauia prolapsi modica spes supersit.

Lapsus, quos attigimus, satis multi sunt, cùm tamen alios multos reticere oportuerit, quos prolixum foret hoc loco referre. Incredibile quippe ijs, qui rem hanc minimè sunt contemplati, videtur, linguæ lapsus in tantum excrescere numerum, & disciplinæ monasticæ tantoperè officere. At ij, qui rem perspectam habent, facilè consentiunt in florentibus ordinibus monasticis, numerosiùs multò, & grauiùs linguæ lapsibus, quàm alijs actibus peccari solere, qua de re sæpe inter prudentes monachos præuia obseruatione collatum est. Cùm ergo tot mala è linguæ licentia originem ducant, quis adeò instituti nostri **capitalis inimicus sit, qui non existimet, linguam** quodam timoris Dei cauterio potiùs vrendam, **quàm licenter ad verba laxandam? Vos ipsi dicite, quoties verba fecisse pœnituit?** Verisimile autem est, vos etiam de silentio rogatos responsuros, nunquàm ob linguam coërcitam, vllam pœnitudinem subijsse. Vnde putatis, tot monachos duabus quotidie statis horis orationi vacantes, & rerum diuinarum scientià satis instructos, post annos multos tam esse aridos, & à Dei gustu alienos, ac si in sæculo remansissent?

Prudens veteranorum coniectura eſt, monachos iſtos ob frequentem linguæ licentiam aruiſſe, ac propemodùm obduruiſſe, vt iam ſpes profectus penè nulla ſuppetat. Vt enim deſperatur vita ægroti ingeſtum ſtomacho cibum diù euomentis, ita & profectus iſtorum, qui tametſi aliquod ſpiritus alimentum quotidie traijciant, eodem die lingua laxata reijciunt, atque adeò ſpiritus minimè alitur, & ferè ad interitum ægrotat. Vtinam doctrinam hanc dignè æſtimatam non calamo, ſed ſpiritus ſui digito cordium veſtrorum tabulis Deus inſcriberet. Quàm feliciter progrederemini ſi lapſuum linguæ ſyluam cæderetis! Quàm ſuauis vobis accideret ſermo Dei intus loquentis, & ſubtractum ipſius cauſa ſermonem repenſantis? Imperate vobis ipſis, & inſtrumento linguæ ad pietatem dumtaxat vtimini. Otioſa verba à Chriſto iudice improbantur, quantò magis noxia? Ne iudicem irritate. Exerite potiùs linguam ad Dei laudes celebrandas, & eloquijs caſtis ad legis diuinæ lineam exactis eruditi, erga cętera taciti, æternorũ deſiderijs conflagrate.

TEXTVS DECIMVSQVINTVS.

Exhortatio Prioris ad humilitatem.

TV autem, fratrer Brocarde, & quicunque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente, & obſeruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: Quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit miniſter veſter: & quicunque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus;

Ob-

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu peti possunt ad exhortationes solitas.

DIci poterit de humilitatis cultu; Poterit etiam agi de actibus ad humilitatem parandam opportunis.

Exhortatio de humilitatis cultu.
Cap. XXXV.

TAmetsi lecti textus titulus Priori dumtaxat destinetur, causa, de qua agitur, communis est; cùm perspectum sit, humilitatis cultum ad omnes pertinere. Ergo, & me ipsum, & vos ad tantæ virtutis studium hortabor, quod tantò diligentiùs impendendum est, quanto rariùs humilitas imis radicibus nixa prouenit, & quantò est felicius in selecto paucorum humilium numero recenseri. Vt verò res cedat ex sententia, has rationes expendite.

Ratio prima. Nemo prudens extruendæ alicuius fabricæ cupidus, de fundamento bene firmo non cogitat. Cùm ergo humilitas sit spiritualis fabricæ fundamentum, sine quo nihil satis tutum, firmumuè construitur; omnino necesse est, vt monachus eius virtutis cultui se accuratissimè dedat, neque sine hoc studio, spiritui quantumuis sublimi credendum existimet.

Ratio secunda. Humilitas hoc parit bonum sanè maximum, vt animum diuinorum munerum capaciorem efficiat. Depellit quippe superbiæ

ven-

ventum, quo mens vana distenditur, & quandam velut cauitatem relinquit, quam Clementissimus Deus donis cælestibus explet ea fidelitate, qua in rebus naturalibus locum depletum implet, ne quid vacuum remaneat. Cui certè doctrinæ fidem conciliat pietas, quæ non obscuris indicijs deprehenditur in viris humilibus, quos in schola Christi felicius prosperatos, quàm alios virtutum cultores animaduertimus.

Ratio tertia. Vir humilis cordium dominus est. Experientia quippe constat, eius consuetudinem esse omnibus acceptissimam, eumq. cordibus sine renisu imperare, quod & ratio ipsa persuadere videtur. Cùm enim ipse omnibus cedat, nihil in eo asperum deprehendunt, cuius prætextu displiceat: E contrario verò mores suauissimos experiuntur, quorum vi efficacissima capti ei semper hærere vellent. Quod adeò verum ac testatum est, vt in cœtibus monachorum ij, quos humilitate præcellere exploratum est, ab omnibus impensè amentur, & omnes ab eorum consortio separari timeant, quod vos obseruasse credimus. Si ergo monachus humilis impensè diligitur, ac proinde omnibus dominatur, & velut regno quodam non quidem affectato, sed ab alijs sponte delato potitur, cur non omnes hoc modò imperare, siue regnare velimus?

Ratio qarta. Humilitas pacis feracissima est. Nihil enim affectat ex ijs, quæ discordiam parere solent: non honorem, non primos accubitus, non commoda, vel vtilia. Credit quippe vir humilis, se omnium vilissimum esse, rationiq. congruere, vt no-

vt nouissimo in loco recumbat, & postrema sors ei in rebus quibuslibet obtingat. Sublata verò bonorum honorificorum, vtilium, delectabilium, appetentia, libenter alijs defert, quæ ipsi cupiunt, sibiq. attribuit quæ alij reijciunt: quo certè posito, pax dulcissima, & constantissima succrescit. Cùm ergo creaturæ omnes pacem appetant; profectò monachus humilitatis neglector extra rationis metas vagatur, sibiq. ipsi consulere nescit, dum discordiæ sementem spargit.

Ratio quinta. Clarissima sunt exempla sanctorum, qui virtutis huius ardentissimo amore capti rara mundo spectacula exhibuere, vt Alexius, Alexander Carbonarius, Franciscus, alijq. permulti, quibus nihil fuit antiquius, quàm vt se ipsos aspernarentur, & alijs despicabiles apparerent: quos tamen luculentissima gloria, in hac etiam mortali vita Deus illustrauit. Si ergo exempla sanctorum pondus habent, quo nomine dignus erit monachus, qui ijs insistere renuerit?

Ratio sexta. Recolite genus vestrum, estis enim Beatissimæ Virginis filij. Quò autem non pertigit Mariæ humilitas, quæ vnigeniti Filij Dei cor permulcere potuit? Profectò non sine sublimissimo consilio, diuina maiestas ad incarnationis mysterium Virginis assensum per nuncium cælestem postulauit, expectauitq. responsum profundissima humilitate redditum; quo accepto, mox sese Virginis visceribus infudit, & Verbum caro factum est. Si ergo quidam perfectissimæ humilitatis actus fuit, velut vltima, ad Incarnationis mysterium dispositio, in

ea Virgine, quam vt matrem diligitis, ac veneramini; aut genus negetis, aut humilitatem impensè colatis necesse est.

Ratio septima. Contemplamini Christum pedes discipulorum abiuentem, & obstupescite. Audite illum postquàm recubuit, humilitatis scholam instituentem his verbis, quibus feræ indomitæ mitescerent:

Io. 13. *Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Dominus: & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

Hæc mitissimus, cordeq. humillimus Redemptor noster. Quomodo ergo vniuersorum hominum colla non flectuntur, & studium Christianæ humilitatis cupidissimè arripiunt?

Profectò rationes hæ & me, qui à regula moneor, & vos, quos ad necessariæ virtutis cultum adhortor ego, peruincere, & ad humilitatis cultum vehementer inflammare deberent. Quid enim non fecit Vnigenitus Dei Filius ad mortalitatem nostram delapsus, vt nos humiles efficeret? Quænam improperia non pertulit? Si pedum ablutio dura pectora mollit, cur non & facies sputis respersa? Si Christus æternus Deus ad discipulorum pedes genuflexus humilitatem efficacissimo docet exemplo; cur non & Crucifixus, ac publicè irrisus illam persuadeat? Contemplamini statum vestrum, & Christi discipulos repræsentate. Apostoli hoc Christi magisterio eruditi facti sunt tanquàm purgamenta huius Mundi, improperiũ Crucis Christi sustinentes, vt ma-

magistro congruerent suo. Vos ergo cum eundem nacti sitis praeceptorem, quid cogitatis? Nondum saluator noster salutem operatus fuerat in medio terrae, & Dauid coram fœderis arca tripudians, se humiliter acturum iurauit: Cur ergo nos prauio tanti praeceptoris exemplo, humilitatis studio nos totos addicere non decernamus? Quid dicam vobis? Porrò si prudentes negociorum gestores esse velitis, modus cũ diuina maiestate feliciter agendi, est ipsa Christianae humilitatis affectio, quae tam est efficax, vt Dei cor, quò velit inflectere posse videatur. Sit peccator quilibet tartaro penè demersus, humiliterque clamet; & statim ira posita illum Deus amplectetur. Nonne publicanus humili sensu, suiq; despectu Deum precatus, confestim inter amicos relatus est? Si ergo eos, qui cum in peccatorum cœno iaceant, diuina gratia excitati humiliter agunt, Deus amplexurus accurrit, vt ex dulcissima filij prodigi parabola censere quoq; potestis; quid non praestabit ijs, qui cum à peccatis abstineant, tantae virtutis studio se totos dedere certant? non dubium quin clementissimus Deus eos in delitijs habeat. Pergite ergo patres, & Christianae humilitatis cultu bona immensa comparate.

Exhortatio de actibus ad humilitatem parandam opportunis. Cap. XXXVI.

EX Euangelico textu liquet, viam, quae ducit ad vitam, esse arctam, & à paucis carpi, quod

quod tam lugendum, quàm verum est. Quid enim luctuosius, quàm à salutis via exorbitare, ac proinde ad tartari præcipitium ferri eos, qui Christi sanguine redempti summo, ac sempiterno bono frui possent? Profectò deflenda est raritas hæc, cui fidem astruit humilitatis penuria; quæ in ijs quoq; deprehenditur, qui eam profitentur, vt rarò vir humilis appareat vnus è plurimis, qui mundum despexisse videntur. Nimia sanè sterilitas, est hæc, cuius causam si peruestigare velimus, comperiemus proculdubio, fugam humilium actuum tanti mali originem esse. Vt enim ad exercitium humilitatis ventum est, incipit degener animus à proposito resilire, neq; vult pretiosissimam humilitatis gemmam duro humilium actuum exercitio comparare. Erit ergò ad rem, vt eiusmodi actus animosè obire decernamus, quod hæ rationes exposcunt.

Ratio prima. Omnes in sententiam conspiramus hanc, virtutem scilicet humilitatis esse præstantissimam, meritoq; per agones, laboresque quærendam, vt è proxima exhortatione censere potestis. Cùm ergo humilia obsequia, & vniuersè actus illi, quibus se quis neglectui habendum ostendit, ad eam virtutem parandam magnoperè conferant; quo iudicio valet, qui actus illos passim detrectat?

Ratio secunda. Familiare est monachis, in quotidianis occasionibus versari, quibus possent ministeria postrema disciplinæ monasticæ exercere, à doctrina, vel prudentia ostentanda abstinere, obiectis culpis nullam excusationem ob-

tendere, solitos humilitatis ritus, puta alijs cedendi, genuaflectendi, vel se prosternendi, obseruare: quibus actibus omni dubio procul norunt ipsi sterni viam ad virtutem acquirendam. Quomodò ergo eam parabunt, si eas occasiones vitent, ijsuè abutantur rationibus ducti humanis? Nonnè manifestum est, ea viuendi ratione, non modò humilitatem non parari, sed superbiam ali? Nonne luce clarius est, eiusmodi monachos veste, quam gestant indignos, hypocritas censendos esse, qui animi elationem humili vestimento contegunt?

Ratio tertia. Vehementer ad pietatem commouentur animi, vbi qui in cœtu monachorum antiquiores, & varijs dotibus doctrinæ, ac prudentiæ cultiores sunt, humilibus insistunt obsequijs, quod in Congregatione nostra ab origine huc vsque obseruatum est. Quo quidem exemplo, & humilitas colitur, & aliorum animi ad æmulationem incitantur. Qua ergo mente leuibus ex causis, ministeria humilia recusentur, aut lentè exerceantur?

Ratio quarta. Quàm indecorum est, patritio seculari mechanicis actibus se dedere, tam speciosum est monacho, postrema cœnobij ministeria exequi, rebus quoque iuxta hominum opinionem, expensis; patetq; omnino, monachum propriæ existimationis causa, ijs se subtrahentè, apud seculares, nedum apud monachos alios, boni nominis decrementum pati. Si ergo humiles actus apud Deum, & homines honorifici monacho sunt; quam ob causam illos refugit? Nonne

aper-

aperta fatuitas est?

Ratio quinta. Profectò inter nostros mos percrebuit, vt magna fieret concertatio, ad humilia obsequia alijs præcipienda, vel precibus impetranda: quæ ex contentione insignis Dei gloria cum miro monachorum profectu exstitit. Nostis hoc. Qualis ergo ausus foret, aduerso flumine nauigare, & consuetudinem hanc antiquæ sanctitatis æmulam, ob indomitas passiones auferre, vel remorari? Absit hæc dementia, vel proteruia.

Ratio sexta. Exprimi nequit, quàm Deo spectatori placeat strenuitas fortium militum superbiæ, sensum humilium actuum assiduitate extinguere conantium; quando videlicet in palæstra monastica, monachus propriæ existimationis stimulo excitatus à Prælato anxiè flagitat, imponi sibi postremum aliquod ministerium, cui assuescat, donec sensus ille deficiat, dæmonq; timidus recedat, veritus ne fortè dimicantis meritum augeatur. Porrò gratissimum est diuinæ maiestati spectaculum hoc, deberemusq; nos omnes id clementissimo exhibere Deo, cui velle placere, filiorũ, quales nos esse decet, propriũ est.

Quid ergo moramur? Quomodo sitim humilium obsequiorum, & actuum sedare possumus? Obseruate motus naturæ, & gratiæ. Natura cupit honorari, gratia despectum suggerit. Natura dotes claras ostentat, gratia cælat, & vilia prodit. Natura optat præesse, gratia subesse. Natura primum accubitum, gratia postremum exquirit. Quid ergo vultis? An naturam gratiæ

præ-

præferatis? Absit. An prudentius consilium non probetis eorum, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati? Ne cœptum iter intermittite, patres, sed qui collum iugo Christi subdidistis, animaduertite, quo consortio digni existimemini, & quàm foret turpe subiectas Christo ceruices erigere. Optabilius est, nouissimo, quàm primo spiritualium nuptiarum loco recumbere, vt audiatur posteà honorifica, & lętitię plena monitio illa: Amice ascende superiùs. Bene est, vt votum non ambiendi emiseritis, quod humilitatis votum inter nostros cœpit appellari. Cæterùm non satis officium expleretis, qui ad eximiam sanctitatis celsitudinem aspirare cœpistis, si votum illud à Deo inspiratum frequenti humilium actuum exercitio minimè confirmaretis. Agite ergo, & in schola mansuetorum, & humilium de profectu contendite. Ne sinatis lucri immensi occasiones elabi, sed oblatas arripite, quin, & non oblatas quærite. Vtinam adesset Pynuphius aliquis, qualis ille, qui cum in Aegypto sanctitatis fama clareret, humanam refugiens laudem, à monasterio numeroso, cui præerat, clam recedens, ad intima Tabennensium monachorum secreta contendit, vbi veste mutata, prolixis precibus, vt susciperetur, obtinuit: monachoq; horti cultori, in adminiculum destinatus, cum triennium humillimè ministrasset, à fratre quodam qui ex Aegypto aduenerat, cognitus, & à Tabennensibus, quibus occultus inseruierat, stupentibus honoratus, summa cum mœsti-

Caff. coll.20 cap.1.

tia, & lachrymis, quòd ministerij illius occasionem amisisset, in cœnobium, cui præfuerat, reductus est. Hæc digna est tantæ virtutis æstimatio. Nos minora suademus. Ne ergo animo concidite, sed ad humilitatis palmam per humilia obsequia properate.

TEXTVS DECIMVS SEXTVS.

Exhortatio fratrum, vt Priorem suum honorent.

Vos quoq; cæteri fratres, Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra. Et Ecclesiarum præpositis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus, cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Obseruatio thematum, quæ ex hoc textu duci possunt ad exhortationes solitas.

Dici potest de honore Prælatis deferendo, mox de operibus supererogationis, eorumq. modo.

Exhortatio de honore prælatis deferendo.
Cap. XXXVII.

Vltimus hic regulæ textus, si ad me referatur, non modica ex parte, sua carebit energia; neque enim is sum, qui vllum honorem merear. Quia vero res, de qua agitur, vniuersè accepta momenti maximi est, dicendum videtur de honore prælatis deferendo, qui ad monasticam disciplinam magnopere confert, vt è rationibus subiectis censeri poterit.

Ratio prima. Filij vniuersi ductu quodam naturæ parentes honore afficiunt, neque gens vlla adeo fera, & inculta est, quæ in hanc sententiam minimè conspiret. Cùm ergo monachi prælatos suos parentum loco habeant; cum ipsa naturæ propensione pugnabunt, si eis honorem deferre recusent. Etsi enim ab eis, quod ad naturam spectat, geniti non sint, naturæ tamen lumen dictat, vt postquàm parentum vices gerunt, paternum honorem accipiant. Et quidem ratio hæc vim multam acquirit, si prælatorum nostrorum mores verè paterni spectentur, siue culturam spiritus, siue corporis necessitatem contemplemur: vtroq; enim ex capite, carnales parentes, vel æquant, vel certè superare contendunt. Qualis autem deformitas esset, his honorem debitum adimere?

Ratio secunda. Prælatus non, vt pater tantùm, sed vt magister, & vt Dei Vices gerens honore maximo afficiendus est. Vt enim parentis,

& magistri functiones sileamus, quisnam titulus illustrior, & honore dignior excogitari potest, quàm qui ex munere illo enascitur, quo prælatus Dei vices gerit? Porrò qui perspicaces, mentis oculos nacti sunt, profunda animi demissione Prælatum venerantur, memores amplissimi honoris, qui debetur ijs, quos Christus in excelsissimum fastigium euexit aiens: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*. Nihil enim altius in hoc genere, mente concipi posse videtur.

Ratio tertia. Prælatus est quidam canalis, vel aquæductus, per quem cœlestia dona in subditos deriuantur: Illi quippe Deus adest, affulget, instruit, vt subditos moderetur: eamq; diuinæ lucis, & consilij gratiam, in bonum subditorum cedere compertum est. Quis ergo non afferat honorem ei, per quem Deus tot bona largitur? Nimia cœcitate pleriq; laborant, qui in prælato, nihil altius, quàm corporis præsentiam cogitare norunt, quos humi repere, & parum spirituales esse palam est. At eis rependitur, vt steriles sint.

Ratio quarta. E contrario abusu, vel enormi errore iudicare licet, quàm sit debitus prælatis honor. Profectò, qui eò processit, vt prælatum aspernetur, pessimus monachus, & damnationi proximus est. Quem meritò reponimus in illo numero infelicium monachorum, quibus peiores homines nusquam reperire licet. Ita enim se res habet, & sanctus censuit Augustinus, qui neque meliores, quàm qui in cœnobijs profece-

Epist. 137. ad plebē Hipponensē.

runt,

runt, neq; peiores, quàm qui ibi deliquerunt, se expertum fuisse commemorat. Quòd licet in alijs peccatorum generibus, ad proportionem sanctitatis, quam status exigit, crescentibus verum quoq. probetur; cęterùm in ea imprudentia, qua prælati contemnuntur, maximè verum est, cùm in contemptu illo plus multò malitiæ, quàm in alijs peccatis, quæ à monachis committi solent, inesse credatur.

Ratio quinta. Quàm sit turpe, prælatos non venerari, facilè perspiciet, qui iram Dei conceptam in eos, qui in hoc genere peccant, dignè perpenderit. Sanè cum Aaron, & Maria aduersus Mosem parùm reuerenter locuti essent, apparuit Deus, & è nube, velut è tribunali grauiter reos reprehendit, lepraq; Mariam continuò in pœnam resperſit. Cùmq; Moses, vt erat mitissimus, pro ea precaretur, minimè vt optabat, exauditus est, donec Maria septem diebus, castris exclusa, vltimoq; reuocata, cœptum iter persequi permissum est, Deo iniuriam Mosi illatam exemplo tremendo vlciscente, vt discerent posteri, quem honorem ijs, qui præsunt, deferre deberent. Nimirum iniuria prælatis irrogata, in Deum, cuius nomine præsunt, refunditur, sicut scriptum est, *qui vos spernit, me spernit.* Nu. 12

Contemplamini nunc, patres, quid de honore prælatis debito opinari debeamus. Quid de re hac porrò grandi dicam vobis? Incredibile planè videtur, monachum officio satisfacere suo, qui prælatum non intuetur ijs pæne oculis, quibus Christum ipsum aspiceret. Si autem hoc

intuitu candido, simpliciq; illum spectet, ardua quæq; peruincet, debitoq; illum honore venerabitur, quod clarissimo Dauid erga Saulem, tunc regno præsidentem exemplo patebit. Venerat Saul, tribus electis militum septus millibus, ad peruestigandum Dauid; quem interficere cupiebat, vt in regum historia memoriæ proditum est. Cùmq; in antrum quoddam, egerendi causa, se recepisset, & in recessu antri interiore Dauid cum comitibus lateret; peropportuna insonti occasio Saulis necandi oblata est, quod milites vehementer hortabantur, promentes, vt credi debet, iustissimas tyranni occidendi causas, præsertim cùm in summo ipsi vitæ discrimine versarentur, nisi cum inculpatæ tutelæ moderatione inimicum perimerent, qui ad ipsos interimendos eò furens accesserat. Rationes profectò validissimæ vrgebant. Et tamen Dauid oram chlamydis Saul tantummodò præcidit: hominem omnino nec tetigit, neq; attigi à militibus passus est: Quin etiam conscientiæ remorsum sensit, quòd oram chlamydis præcidisset? Quid est hoc? Qua de causa non infert manus tyranno, à quo parùm abest, vt capiatur innocẽs, ac necetur? Ergòne conscientia innocentis torquetur, quòd vestis oram præsecet, qui iure potuit hostem iniustè persequentem trucidare? Quid causæ subest, ad tyrannum tantopere reuerendum? Cur constringit militum animos, ne in hostem insiliant? Ipsi enim vrgent: Cur eos retardat? Audite verba Dauid: Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini,

vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Ecce quam rationem profert, cur eum attingere non audeat, neq; lædi à militibus sinat, quia scilicet Christus Domini, quasi diceret: Bene animaduerto, quàm sit Saul crudelis, & quàm iniustè me persequatur. Animaduerto etiam, me & vos milites meos in periculo extremo constitutos esse, vt ab eo capiamur, ac necemur. Cæterum omnia hæc mihi ferenda videntur, quia Christus Domini est, quia videlicet rex est, loco Dei præsidet. Ratio verò hæc altè adeò illius animo insedit, vt egressus è spelunca Saulem nihil tale opinantem pronus in terram adorauerit, & crudelis tyranni feritatem ad fletum vsq; lenierit. Expendite nunc quo affectu, & quibus externis actibus eum, qui præerat, honorauerit. Si ergo Dauid tunc miles puro intuitu regni præsidem suspiciens, & non qualis esset, sed cuius loco præesset considerans, interim dum ad necem ab eo quærebatur, illi honorem tantum detulit; cur monachus prælatum, qui non vitam adimere, sed tueri cupit, non honore afficiat? Cur monacho satis non sit, nosse, prælatum Christum Domini esse, vt æquo animo illius mādata ferat, nec audeat vllam, vel leuissimam ei iniuriam irrogare, tametsi ab eo acerbè tractetur? Porrò exemplum hoc adeò videtur efficax, vt monachus quisq; timoratus, non solùm vbi à prælato suauiter accipitur, verùm etiam si fustibus, & alapis cædatur debeat illum, & amare, & honore pariter afficere? Ne rationibus humanis viam aperiatis, & opus fidei politicè interpreta-

ri velitis. Christum ipsum in prælato intuemini, eiq; reddite honoris tributum, quod lex ipsa exigit. Certò statuite, mitem prælatos honorandi morem, ritum esse Sanctorum antiquissimum, Deoq; gratissimum, & in cœlesti patria cumulatè remunerandum. Ergo in opus incumbite, & quod debetis, officium explentes spe altè nixa, in præmia vobis parata mentis aciem, & pia vota collimate.

Exhortatio de supererogationis operibus. *Cap.* XXXVIII.

POstquàm regulæ auctor leges paucas selectas, & ad instituti nostri appositas tulit, adiecit verba illa. *Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus, cùm redierit, reddet ei.* Quasi apertiùs diceret. Præscripsimus pauca, quæ prudens exigebat legislatio: cæterùm nobis exploratum est, vos his limitibus ita includi velle, vt maiora moliri neutiquàm prohibeamus. Maiora interdicere minimè debuimus, imo admonemus, Christum vobis maiora patrantibus mercedem, cùm redierit, redditurum. Hæc regulæ auctor; qui patrum illorum, quibus leges scripsit, spiritum sanè validum contemplatus, monuit denique prudentiam, ne quid nimis. Erit ergo maiorum nostrorum exemplis consona supererogationis tractatio, quam hisce rationibus digeremus.

Ratio prima. Filij huius seculi, qui iuxta Christi oraculum, prudentiores filijs lucis, in gene-

generatione sua sunt, sibi minimè satisfaciunt, si ea tantùm bona vtilia, honorifica, & delectabilia exquirant, quæ ad vitam decenter ducendam sufficiant; sed inexplebili cupiditate plura, & maiora conantur, vt ex congesta in annos multos pecunia, ex horreis plenis, ex curribus, equis, hortis, palatijs, ex honorificis titulis pretio multo emptis, facile perspicitis. Cur ergo, vbi de bonis æternis parandis agitur, meta vobis præfigatur, quam transilire nolitis? Porrò seculi cupiditas à bonis monachis, in argumentum cælestis prudentiæ vertenda est.

Ratio secunda. Viri, qui in sæculo cordati censentur, si quid mediocre in regum aulis quærant, eam vim, ac nauitatem adhibent, quæ ad maiora sat esse videatur. Si enim mediocri honori mediocrem curam dumtaxat impenderent, vix, aut nunquam voti compotes euaderent, si expertis fides habenda sit. Quocirca vt tutiorem agendi morem sectentur, ea solicitudine mediocria conquirunt, quæ ad magna satis foret; atque ita securiùs eis res ex sententia succedunt. Si ergo hic cordatorum virorum mos in temporalibus est, cur id prudentiæ genus ad res non traducatur æternas, vt securior earum fiat acquisitio? An in rebus diuinis perquirendis ea desideretur prudentia, quæ affluenter impenditur humanis?

Ratio tertia. Experientia constat, monachos etiam feruidos, qui annis prioribus, supererogationis opera necessarijs addebant, decursu temporis consenescere, ac vix necessaria opera

præstare. Quid ergo si sub initium vltra necessaria, nihil maius cogitassent? Profectò & è necessarijs, temporis processu, aliquid demerent; vt crebris etiam experimentis probatur. Et hæc profectò ratio experientia confirmata apud sapientes monachos, hoc efficit, vt grandiora exequi conentur præsagientes, quod futurum creditur, vt vbi disciplinæ monasticæ pondere se fatigatos senserint, omittant aliquid eo vsque supererogatum, & quod legitimum est, perseueranter retineant.

Ratio quarta. Profectò generosi animi in re hac, quam pertractamus, domesticum, & satis efficax exemplum habent B. Teresiæ Fundatricis nostræ, cui adeò modicum visum est, quod ex legibus nostris Deo redditur, vt sponte rarum illud votum emiserit, exequendi, quod inter multa occurrentia, Deo gratissimum crederet. Non enim animo illi grandi satisfuit, quæ nobis imperata sunt, explere, & vt sibi satisfaceret, quod in quouis euentu Deo acceptius esset, se facturam pollicita est. Parùm ergo parenti nostræ congruunt, qui sibi metam lege præfigunt.

Ratio quinta. Christus Redemptor noster genus humanum vna sanguinis sui gutta perfectè redimere potuit: & tamen quasi ruptis fontibus abyssi magnæ, ac diruptis cæli cataractis totum profudit sanguinem, & nostræ salutis siti rapidissimum dolorum, ac irrisionum torrentem exhausit. Qualis ergo gratitudo est illa tepentium monachorum, qui fatentur quidem, se, quæ præscripta sunt, efficere velle, nolle tamen maiora


moli

moliri? Si enim ideò nolunt ampliora, quia legitima sufficiunt; an minor dolorum acerbitas à Christo perlata ad eos redimendos non sufficeret? Profectò ratio hæc nobilissimam orbis terrarum partem domuit, domitamq. ad egregia virtutum opera, sine meta præstanda vehementer impulit.

Vos ergo, patres, Christi castra oculis internis lustrate, & lectissima, Martyrum, Confessorum, Virginum agmina recensete: comperietisq. permulta, & planè grandia vltra Dei præcepta, & consilia voto promissa patrasse. Neque enim diuina lege, aut Ecclesiastica, aut monastica adigebantur ad tot, tamquè grauia pœnitentiæ opera, ieiunia, vigilias, verbera, & id genus alia, quibus parum abfuit, vt modum excederent. Cæterùm scriptum est: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam;* atque ita cum Christum amore summo diligerent, nihil se magnum agere crediderunt, tametsi se ipsos amore incensi, laboribus penè conficerent, aut sanguinem quoque profunderent. Hæc altè recondite, neque discretio illa siue prudentia, quæ virtutum est moderatrix, vos ab hoc proposito retardet. Si enim grandia consensu Prælati tentetis, prudentia minimè deerit, vti deest ijs, qui arbitratu proprio virtutis opera metiri gestiunt. Qui verò obedientiæ ductu reguntur, non est, cur scopulos formident, cùm Deum moderatorem, ac fautorem nacti sint, maioraq. interdum efficiant, quàm se præstare posse putassent. Christum ergo Cant. 8.

go impensè diligite, & vos totos obedientiæ credite, grandiaq. audete: vt Christus ipse rediens, coram vniuersi mundi theatro, vos amplissimis honoribus æquus remunerator exornet.

FINIS.



ERRATA.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
3	3	tanta regulæ	tantæ regulæ
ibid.	31	alicuis	alicuius
8	23	indicium	iudicium
33	11	pascuæ uæ	pascuæ suæ
ibid.	30	delebat	delibat
46	24	obedientia	obedientiæ
50	23	aduersum	aduersam
57	27	suspitarent	suspirarent
81	26	longas	longa
131	7	& ad	sed ad